Putanowicz Jos. Aloys: Dissertatio philosophica ex Pneumatologia de Deo divinisque perfectionibus.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA.

Ex Pneumatologia;

DE DEO,

Divinisque Perfectionibus.

Per

M. JOSEPHUM ALOYSIUM PUTANOWICZ,

Sacræ Theologiæ Doctorem, Eclecticæ Philosophiæ & Matheseos Professorem, Ecclesiæ Insignis Collegiatæ Neo-Sandecensis Primicerium, interea Artistarum Decanum.

Pro loco obtinendo,

In Majori Universitatis Cracoviensis Collegio,

Publicæ disputationi,

In Lectorio CC. DD. Theologorum.

Annô Dñi 1765. Die 27. Mensis Augusti.

EXPOSITA.

CRACOVIÆ In Typographia Seminarii Episcopalis Academ.

ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. ANTONIO MICHAELI
MARCELLINO
COMITI AB AUREO POTOK
POTOCKI.
Vetustissima PILAVITARUM Gente,
Virîs paceque, belloque celebratîs.
QUI

DOMI;
Summîs, omni retro, nostraque hac etiam ætate dignitatibûs floruere, florentque.
FORIS;
Magnitudinem gloriæ suæ ad extremos usque EUROPÆ fines provexere.
ORIUNDO.
ALEXANDRI Smolenscensis Palatini, & THERESSIÆ TARŁOWNA Zavichostensis Castellanidis, è Prosapia KOSTKARUM descendentis,
FILIO.
PAULI Camenecensis CASTELLANI
NEPOTI.
THEODORI Gnesnensis Archi-Episcopi, Regni Poloniæ & M. D. L. PRIMATIS, Primi-

mique *PRINCIPIS*; STANISLAI Kijovienſis CASTELLANI; STEPHANI Curiæ Regni *MARESCHALLI*; MICHAELIS M. D. L. *SUBDAPIFERI*; PETRI Czerniechovienſis *PALATINI*; JACOBI, & DOMINICI,

Ex FRATRE NEPOTI.

STEPHANI Bracławienſis, *PALATINI*, Terrarum Podoliæ *GENERALIS*,

PRONEPOTI.

NICOLAI Cracovienſis *CASTELLANI*, Supremi Regni Exercituum *DUCIS*,

ABNEPOTI.

JACOBI Bracławienſis *PALATINI*, Terrarum Podoliæ *GENERALIS*,

ADNEPOTI.

NICOLAI *GENERALIS* PODOLIÆ,

Cujus *cùm eſset nobis* (inquit SIGISMUNDUS AUGUSTUS) *per multa, & varia eximiæ virtutis exempla, ſpectata fides, atque integritas, quam ab ineunte ætate ſua, adhuc Divo Parenti noſtro, in ejus Aula educatus, deinde etiam in noſtra per multos annos ſplendidiſſimè verſatus, teſtatam reliquit, plurima inſuper documenta egregii animi atque fortitudinis, in militia, pro tuendis finibus Regni noſtri, per multa diſpendia ſuſcepta, præbuit, adeo ut omnium & noſtro judicio, dignus exiſtimatus ſit, ut inter alios Patricios Proceres, & ſtrenuos viros, de Republica benè meritos, ad præmia meritæ virtutis vocaretur.*

TRINEPOTI.

Infinitorum POTOCCIORUM, quorum Generis vetuſtas, ipſam Antiquitatis memoriam vincit:
Ut ſanguinis, ita virtutis, & gloriæ,
HÆREDI.
Nuper;
MAGNI DUCATUS LITUANIÆ
SUBDAPIFERO.
Regnante Divo AUGUSTO ejus nominis
SECUNDO,
AD ROXOLANAM MAJESTATEM
Ad publicos Regni Conventus,
repetitîs vicibûs,
LEGATO.
Ad componendas inter Vicinos Principes, & ſuprema Nomina, diſſenſiones.
Prudenti, ac felici ſuper-ARBITRO.
In Tribunalibus Regni,
PETRICOVIÆ, LUBLINI, RADOMIÆ,
MARESCHALLO.
Ad ponderanda cum Exterorum Principum Miniſtris, de totius Europæ tranquillitate, & communi noſtrûm omnium ſalute momenta, á Majeſtate, Regnique Ordinibus, delegato
COMMISSARIO.

Tót

Tot tantîsq; meritorum suffragiîs ;

BEŁZENSI PALATINO.

Æquè in Sago ac in Toga ,

Æqualitatis , Legis , Libertatis , Fidei, priſtinique Polonorum de Religione Zeli.

PROPUGNATORI.

Qui idem ;

JUSTITIÆ CULTOR , RIGIDI SERVATOR HONESTI.

Hodie ;

Rarô admodùm ætate noſtra exemplô.

Transactîs inter publicas , pro FIDE , REGE , & LEGE curas , Annîs ſupra LX.

Maxima & honorum & titulorum dignitate,

Atque immortali Nominis ſui poſteris imitanda gloria.

Renuntiatîs liberè Honoribûs & Dignitatibûs ,

Et pro merito acceptîs , & pro virili geſtîs.

EQUITI TORQUATO

S. ANDREÆ IN ROXOLANIA,

ET

AQUILÆ ALBÆ IN POLONIA,

Inibique

EXERCITUUM REGNI GENERALI.

Diſſertationem præſentem ,

Author Operis.

D. D. D.

ILLUSTRISSIME
&
EXCELLENTISSIME
MECÆNAS.

Omnium ætatum more positum eſt, ut ij qui litterarum ſtudia profitentur, labores ſuos juris publici facientes, Viris qui & primas partes in Republica tenent, & qui ipſi longa exercitatione didicere, quis honor, & quod præmium liberalium artium Profeſſoribus debeatur, eos inſcribant. Me-

MONSEIGNEUR.

C'eſt la coutume de tous les temps, que ceux qui ſe plaiſent aux belles lettres, quand ils mettent leurs ouvrages au jour, les conſacrent à des Perſonnages qui tiennent un rang élevé dans la République, & qui ont appris eux mêmes par une longue expérience, en quelle conſidération l'on doit avoir le merite de Profeſſeurs des arts libéraux.

Quand

ECCELLENZA.

Si é uſato in tutt' i tempi addietro, che gli uomini dilettanti di belle ſcienze, mettendo in luce le lor' opere, cerchino di dedicarle a' Perſonaggi, che tengono un poſto rilevante nella Repubblica, e che con una lunga eſperienza abbiano imparato eſſi medesimi, in qual pregio debba eſſere il merito, di quanti profeſſano le arti nobili.

Men-

JASNIE
WIELMOZNY PANIE
PANIE
y
DOBRODZIEJU.

Ten ieſt powagą niezapamiętanych czaſow ſtwierdzony zwyczay, iż ludźie naukami bawiący ſię, podaiąc uczone prace ſwoie ná widok Swiatu, zwykli ie poswięcać Oſobom pierwſzemi w Oyczyznie doſtoieńſtwy zaſzczyconym, ktorym z doswiadczenia wiadomo, iak wyſoce powinna bydź ſzacowana umieiętność.

Roz-

Meditanti adeo mihi, cujusnam Nominis dignitate, hanc quantacumque in se est, operam meam publico commendatam facerem; afflatu quodam divino, ùt ingenuè fateor, Tu ILLUSTRISSIME MECÆNAS in mentem incidisti.

Deerat affectui meo Tuus assensus. Hunc

Quand je pensois donc en moi-même à la maniere de rendre d'autant plus recommendable au public mon ouvrage, quelque petit qu'il soit, en le mettant sous la protection de quelque Nom Illustre: ce n'étoit pas sans une inspiration d'en haut, comme je l'avouë naïvement, que le dévouement particulier que j'ai pour VOTRE EXCELLENCE, me l'a fait tomber dans l'esprit.

Pour exécuter mes projets, il ne s'agissoit, que de

Mentre andava meco penſando il mezzo di rendere tanto più accetta al pubblico, la mia per picciola che ſia opera, coll' accreſcerle la ſtima, dalla grandezza di qualche Nome Illuſtre: voleva il Cielo, il che io confeſſo francamente, che il particolare riſpetto, che porto all' ECCELLENZA VOSTRA me la faceſſe cadere nel penſiere.

Per effettuare un tal mio diſegno, non ci

Rozważaiąc więc z ſobą czyimbym miał zaſzczycić Imieniem, ninieyſzą iakążkolwiek pracę moię, by tym większą dla ſiebie znalazła zaletę, z oſobliwſzego, co ſzczerże wyznawam natknienia, wpadłeś mi ná myſl JASNIE WIELMOZNY PANIE, w czym y oſobliwſza dobroci Jego ku mnię przychylność, y przynależyta z mey ſtrony, Jemuż wdzięcznośc, tym bardziey mnię ſtwierdziła.

Do uyſzczenia mych zamyſłow zbywało ſzcze gul-

Hunc Tu ad primas preces meas benevolè præſtitiſti. Rogaſti verò ne in dedicando opere aut commendatione Tuarum virtutum; quas tamen quametſi celare ſtudeas, boni omnes noverunt : aut laudatione Majorum Tuorum ; quorum virtus & gloria in Te ſuperſtes eſt : Tibi moleſtus eſſem. Ita nimirum perſuaſus, incongruum omnino, eum qui rebus ſeculi ultro ſe abdicaverat, rurſum aut vi-

de Votre agrément. MONSEIGNEUR, *Vous me l' avez gracieusement accordé à la prémiere instance. Mais Vous m'avez auſſi recommendé de Votre part, de ne vous point gêner dans la dédicace, ou per le récit des belles qualitez de votre cœur, & des connoiſſances de votre eſprit; les quelles ſont néanmoins connuës à tous les gens de bien: ou par les éloges de vos Ancêtres, dont la vertu & la gloire ſe perpetuent encore dans la très- digne Perſonne de* VOTRE ECCELLENCE.

ci mancava altro, che il di Lei conſentimento. L'ECCELLENZA VOSTRA me l' à corteſemente conceſſo ſenza indugio. Mi à però dal canto ſuo fatta la legge, di non farla penare nella dedicazione, o col racconto delle virtù eccellenti, e della ſublime ſaviezza, ch' Ella poſſiede; qualità per altro che le fanno un gran nome preſſo tutti gli uomini di vaglia: ovvero colle lodi de' ſuoi Antenati,

la

gulnie ná łaſkawym Jego zezwoleniu, ktore iednak za pierwſzą moią odezwą uproſiłem. Zalecił mi przecież JAŚNIE WIELMOŻNY PAN, abym mu niebył w przemowie moiey uciążliwym, lub wyliczaniem wyſokich cnot, y wybornych Jego przymiotow; aczci te bądź ie dowcipnie JAŚNIE WIELMOŻNY PAN pokrywa, zacnym ludźiom ſą dobrze znaiome: lub wyprowadzaniem naſtępſtwa, y pochwałmi Wielkich Jego Przodkow, ktorych cnota

y

videri quærere verba de ſe magnifica, aut hæc ſi afferrentur recipere.

CE. Car c'eſt votre ſentiment : q'il n' y a rien de moins raiſonnable, que de vouloir chercher des paroles pompeuſes en ſa faveur, ou d' agréer cet encens du Monde, dès qu'on y a reconcé.

Voluntati itaque Tuæ morem geſſi. Ne aut moleſtus patientiæ, aut injurius modeſtiæ, aut ingratus

J' ai condeſcendu à la volonté de VOTRE EXCELLENCE. Soit, pour ne pas abuſer de Votre patience, ſoit, pour ne point offen-

la virtù e la gloria de' quali perpetuanſi nella ſtimatiſſima Perſona di VOSTRA ECCELLENZA. Eſſendo Ella così perſuaſa, non eſſervi un atto meno conforme alla ragione, come voler cercare al prò ſuo delle parole magnifiche, o compiacerſi nelle luſinghe del ſecolo, avendoci una volta rinunziato.

Non ò ardito diſubbidire al di Lei pregiatiſſimo commando, portando riguardo ed alla di Lei pa-

y ſława w nim wiekuie. Oſądziwſzy zá rzecz wcale nie przyzwoitą, áżeby, wyrzekłſzy ſię raz wſzelkiey swiatowoſci, zdawał ſię JASNIE WIELMOZNY PAN ſzukać dla ſiebie ſwieckich pochwał, lub też gwałtem cisnące ſię oneż przyimował.

Uczyniłem więc zadosyć rozkazom Jego Pańſkim, niechcąc bydź lub przykrym cierpliwości, lub uciążliwym ſkromno-

tus beneficiis Tuis evaderem. Taceo ego. Sed Universitas nostra Cracoviensis, sed Templum nostrū Academicum, sed CANTIUS noster, me etiam tacente, liberalitatem & pietatem Tuam in DEUM, in Sanctos, in Litteras, tota æternitate loquentur.

U-

offenser Votre modestie, soit en fin, pour ne pas paroître ingrat envers Votre très-Illustre Personne. Oui, MONSEIGNEUR, je garderai le silence. Mais notre Université de Cracovie, mais le Temple de l'Academie mais notre CANTIUS ne se tairont jamais de votre religion envers Le SEIGNEUR, de votre libéralité à l'égard du culte des Saints, & de votre générosité pour les belles lettres.

Puis-

pazienza per non eſser moleſto; ed alla di Lei modeſtia naturale per non parer ſoverchio; ed a' ſuoi benefizj per non paſſar per un ingrato appreſſo di VOSTRA ECCELLENZA. Adũque io oſſerverò il ſilenzio sì. Mà la noſtra Univerſità di Cracovia, il noſtro Tempio Academico, il noſtro CANZIO, malgrado il mio tacere, celebreranno a viva voce, la pietà verſo IDDIO, la liberalità riguardo al cul-

to

mności, lub niewdzięcznym nad obſituiącey ku mnię dobroczynności JASNIE WIELMOZNEGO PANA. Milczę ia powodząc ſię za wolą Jego. Akademia iednak naſza Krakowſka, Kościoł naſz Akademicki, KANTY naſz Błogoſławiony, mimo moie milczenie, wiekami ſławic będą Jego ku BOGU pobożność, Jego wylaną ná część Swiętych Pańſkich ſzczodrotę, Jego ná ludzie uczone łaſkawe względy.

Za-

Unum ſupereſt, ut cùm Diſſertationem de DEO, quid verò Tibi aut in vita carius, aut inter caduca mundi bona pretioſius, aut inter ſeculi illecebras dulcius, quàm DEI recordatio, poſſeſſio, amor? Tuo Nomini inſcribo: Rogem Te atque obſecrem, quò me noſtramque Univerſitatem, iisdem, qui-

Puisque donc, MONSEIGNEUR, vous avez daigné agréer ma Diſſertation touchant DIEU; Et de quelle maniere m' auriez-vous pû refuſer cette grace? Vous, à qui rien n' eſt plus cher dans la vie, que ſa mémoire, rien parmi les biens de la terre fragiles & périſſables plus précieux que ſa jouiſſance, rien parmi les attraits du Monde plus doux, que ſon amour?

Il

to de' Santi, e la generosità per gli uomini letterati dell' ECCELLENZA VOSTRA.

Laonde giacchè si é degnata gradire la mia Dissertazione intorno a DIO; E come pure avrebbe mai potuto rifiutarmi questa grazia? Ella, a cui è tanto cara la di Lui rimembranza, che a tutt' i beni momentanei e caduchi della terra preferisce il di Lui godimento, ed ad onta degl' incanti del Mondo si ab-

Zaczym gdy JASNIE WIELMOZNEMU PANU ninieyszą moię o BOGU rozmowę z winnym uszanowaniem poświęcam; Nierozumiem zaś abyś niemiał mile przyiąć tey moiey offiary; ktoremu nic w życiu ulubieńszego nad pomnienie o BOGU, nic droższego ná Swiecie nad łączenie się z BOGIEM, nic między powaby Swiata słodszego nad

quibus hactenus prosequutus es beneficiis, prosequi quoque ulterius pergas.

Il ne me reste rien de plus, que de vous demander, & de vous prier, de me vouloir aussi bien qu' à notre Université conserver les mêmes graces, & les mêmes faveurs, dont il vous a plû de nous combler jusqu' à présent.

Ingratos nos minimè credideris. Vivemus profectò memores Tuæ erga nos & liberalitatis & benevolentiæ Academici: *Semper*que nobis *honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt.*

Nous n' en serons point méconnoissants. Au contraire nous vivrons toûjours redevables de Votre libéralité, & de vos bonnes-graces, dont le précieux souvenir passera chez nous dans tous les siécles à venir. J' ai l' honneur de vous en ré-

Ita

pon-

abbandona nell'amor ſuo? Mi reſta a pregarla a maggior ſegno, di volere a me ed alla noſtra Univerſità, conſervare i medeſimi favori, e la medema protezzione, con cui ſi é compiaciuta d' aggraziarci ſin ora.

L' ECCELLENZA VOSTRA può contare ſulla noſtra onoratezza, ogni poſſibile gratitudine, in contracambio delle ſue verſo di noi munificenze. Anzi ne porgeranno i noſtri poſteri la dolce memo-

nad miłość BOGA? Niezoſtaiemi iáko naygoręcey doprаſzać ſię JASNIE WIELMOZNEGO PANA, by temiż dobrodzieyſtwy, ktoremi Oſobę moię, y całą Akademią naſzę dotąd obficie bogaciſz, y na daley nas zaſzczycać łaſkawieś raczył.

Swiadczone nam dobrotliwego Pańſkiego ſerca dowody, wieczyſtą w nas gruntuią wdzięczność, ktorey żywą pamięć Naſtępcy naſi potomnym nieprzeſtaną podawać czaſom. Y pokąd Imienia naſzego ſtarczy, dotąd u nas część y ſława Prze-

Ita ſpondeo & meo & Univerſitatis noſtræ nomine.

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ.

humillimus & obſequentiſſimus ſervus

Author Operis.

pondre autant de ma part, que de celle de notre Univerſité; étant pour toûjours avec toute la veneration poſſibile.

MONSEIGNEUR

DE VOTRE EXCELLENCE.

Le trés humble & trés obéïſſant ſerviteur

L' Abbé PUTANOWICZ.

móría a tutt' i ſecoli che ſono a venire. E mentre ò l' onore d' eſſerne mallevadore, Le bacio riverentemente le mani.

Di VOSTRA ECCELLENZA.

umiliſs. divotiſs. ed ubbidientiſs. ſervidore

L'Abbate PUTANOWICZ.

Przeświętnego POTOCKICH Domu wiekować będzie. O czym gdy mam honor JASNIE WIELMOZNEGO PANA mym y Akademii naſzey imieniem niezawodnie upewnić, ſkłaniam głowę moię ná winne Godnośći Pańſkiey uczczenie.

JASNIE WIELMOZNEGO PANA y DOBRODZIEIA.

z nayżyczliwſzych nayuniżeńſzy ſługa.

X.M. PUTANOWICZ.

QUÆSTIO.

U. De DEO, cujus exiſtentia, citra revelationis authoritatem, ſola ratione duce, invictè contra Atheos propugnatur; Quique ipſe ſolus ſuum eſſe eſt, atque omni perfectionum genere abundantiſſimè cumulatus; Unus omnino, illeque ſupremus Mundi Gubernator; poſſit dari uſquam inſuperabilis ignorantia? nec ne?

DISSERTATIO.

QUodsi „ Philosophus est is, qui studeat omnium rerum „ divinarum atque humanarum vim, naturam, causasque nosse, & omnem bene vivendi rationem tenere & „ persequi: (a) profectò, duo quædam in ijs quæstionibus quæ de Deo instituuntur, dubitationem afferunt „ eorum animis, qui sincerè philosophantur; Alterum an „ sit Deus; propter eos qui esse ullum negantes, impietatis genus suscipiunt longè omnium maximum. Alterum quid sit in substantia sua. Quorum prius non magnus labor est videre; posterius, non solùm difficile est, „ sed fortassis etiam impossibile. Tamen utrumque considerandum est. (b)

Quid enim ab homine Philosopho, Philosopho verò Christiano aut illustrius inquiri, aut magnificentius cognosci possit; quàm supremi Numinis, optimi sapientissimique Artificis

A

(a) *Cicero de Oratore I. c. 40.*
(b) *Philo Lib. I. de Monarchia.*

ficis Dei nimirum natura? Contemplatione ista nihil dulcius, nihil utilius, nihil dignius. Enim verò; efficit hæc ut originem nostram noverimus, & quorsum vota nostra dirigi oporteat, lumen facemque præfert. Admirabilem ergo atque incomprehensibilem Divinæ mentis naturam, & attributa, quantum debilis ingenii humani acies sese extendat, ac Philosophum deceat, dissertatione hac inquisituri: primò quidem supremi Numinis existentiam contra Atheorum impietatem propugnare; dein verò de Illius essentia, & quæ inde nascantur perfectionibus, sola ratione naturali duce differere nitemur; cetera quæ prorsus innumera ac infinita forent, Theologis tradituri.

CONCLUSIO I.

Existentia Dei, citra Revelationis authoritatem, sola ratione naturali duce, invictè contra Atheos demonstratur.

MAgnam vim magnumque robur ad persuadendos hominum animos Authoritati inesse, omnis retro ætas, omnisve natio ultro concessit. Si quæ tamen, Divina certè testimonia mentes nostras in assensum rapere deberent. At verò, cum quis demens perditique consilii homo, tenuem brevissimamque ætatem voluptati & flagitiis impedens, quem vellet ex animo non esse, quòd eum suorum criminum justum vindicem intimo conscientiæ sensu reformidet, Deum negaverit: nonne hujus furfuris animal, ulla Divinæ revelationis authoritas, aut religio ad deponendam sententiam movebit? Nobis verò, dum res est cum perditissimis

his

his mortalium, quametsi Sacris Literis omnia deferamus; suppetit nihilominus & naturalis demonstratio, qua Supremi Numinis existentia, superatâ Atheorum perfidiâ atque proterviâ, triumphet. Quod quidem ex triplici Authoritatis, Naturæ, & Rationis, vel ut cum Scholis loquar, Morali, Physica, & Metaphysica evidentia satis superque resplendet.

Deum itaque existere constans ille atque a novissimis usque retro temporibus traductus, omnium nationum populorumque consensus mirificè in primis ostendit. Quem quidem & olim extitisse & nunc etiam extare, nisi plane in historiis hospes, nisi in veterum Philosophorum placitis peregrinus fuerit, negare poterit nemo. Enimverò „ nulla gens est, neque tam immansueta ne- „ que tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum „ habere deceat, tamen habendum sciat. (a) Hanc autem Dei, quam habemus notionem, inter infantiæ præjudicia, ùt atheus fortasse contendet refferre, nonnisi maximæ temeritatis atque insipientiæ foret. Quis enim absque impudentiæ nota sustinere potuerit, vetustissimos illos Sapientissimosque homines, utì Hermetem Trismegistum, Thaletem, Anaxagoram Clazomenium, Platonem, Aristotelem, & sexcentos alios, quos Làërtius in Vitis Philosophorum multa præclara de Deo sensisse, atque scriptîs suîs posteris tradidisse testatur, tantùm præjudicatæ opinioni adhæsisse; ut hæc prorsus prohibuerit, ne verum in re tanti momenti eorum aliquis viderit. Profectó; „ non colloquutio hominum id efficit aut consen- „ sus. Non institutîs opinio est confirmata, non legibûs. (b) Sed „ nisi id cognitum comprehensumque animis

 „ habere-

(a) *Cicero Lib. 1. de legib9. cap. 8.*
(b) *Cic. L. 1. QQ. Tuscul. cap. 13.*

„ haberemus, non tam ſtabilis (ùt præclarè inquit Tullius) „ opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum ſæculis ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus ceteras opiniones fictas „ atque vanas diuturnitate extabuiſſe, Quis enim hippocentaurum fuiſſe, aut chimeram putat? quæve anus tam ex„ cors inveniri poteſt, quæ illa quæ quondam credeban„ tur apud inferos portenta extimeſcat? Opinionum enim „ commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. (a)

Si itaque „ omnium conſenſus naturæ vox eſt. (b) De „ quo autem omnium natura conſentit; id verum eſſe ne„ ceſſe eſt. Eſſe igitur Deum confitendum eſt. „ (d) Hujus verò argumenti, quanta ſit claritas, quantuſve nitor, calpa ſit, niſi videat.

Quodſi verò vel ipſam naturam ad perhibendum veritati teſtimonium vocaverimus; „ quis mundum contuens, Deum eſſe non ſentiat? „ (d) Quis inquam pulcherrimam hanc Cæleſtium corporum diſpoſitionem, quis admirabilem animalium ſtructuram, quis incredibilem atque infinitam ferè rerum varietatem, non accuratè dixerim, ſed leviter etiam unquam inſpiciens, ſapientiſſimi Artificis opera hæc eſſe non videat; perfectiſſimamque cauſam eſſe non ſuſpicabitur, quæ hæc omnia produxerit, digeſſerit, jugiterque hæc omnia conſervet? Certè, ut præclarè olim notaverat Trimegiſtus, „ locum vel nume„ rum, vel menſuram ſervare abſque authoris virtute im„ poſſibile eſt. Ordo fieri a deformitate nequit. Eget de„ formitas Domino qui ordinem præbeat. (e) An non nobis id ipſum indicant „ tot arbuſta non uno modo frugifera

(a) *Cic: Lib. II. de natura Deorum cap. 2.*
(b) *Tull. l. I. qq. Tuſcul.*
(c) *Tull. l. 1. de natura Deorum.*
(d) *S. Hilarius in Pſal: LII.*
(e) *In Pimandro Cap. V.*

„gifera, tot varietates ciborum per totum annum digestæ: „jam animalia omnis generis, alia in ficco folidoque, a„lia in humido nafcentia, alia per fublime demiſſa; ut „omnis rerum naturæ pars, tributum nobis aliquod con„ferret! Unde tibi iſtum, quem trahis fpiritum? Unde i„ſtam, per quam actus vitæ tuæ difponis atque ordinas „lucem? Unde fanguinem, cujus curfu vitalis calor „continetur? Unde iſta palatum tuum faporibus exqui„fitis laceſſentia? Neque enim neceſſitatibus tantùm no„ſtris provifum eſt; usque in delicias amamur. (a) Profectò, clamant hæc omnia tacitìs vocibûs Authorem fuum Deum. „ Qui per fingulas Mundi partes ubique fplen„det, atque adeo fe notum præſtat; ut non intelligere mo„dò, fed manibus etiam ipſis, ut ita dicam, contrectare „liceat, cum undique noſtris oculis ejus obverfetur, fe„que objiciat, & inculcet imago. Nihilq; eſt in rerum „natura, quod non aliquam præfeferat Divinitatis ima„nem. (b)

At verò qui Mundi hujus aliorumque omnium caufam in cafum referunt; ij Mundum, quæque in eo funt corpora, ex fortuita fortaſſe atomorum concurſione concreta contendent: quodſi hoc eorum fententiâ minimè repugnet; nullam rationem eſſe, cur non hoc potiùs quàm alio modo facta reipfa fuiſſe reponent. Mihi quidem tales non tam refellendi, quàm æquiore conſilio ridendi funt; ne ve dum eos confutandos fuſceperim, non minùs delirare videar. Audiant tamen cum probro fuo, quid eloquentiſſimus Philofophus contra eorum amentiam jam olim repofuerat. „ Qui convenit, ut cum procul navi„gli curfum videris, non dubites quin id ratione atque arte

„ move-

(a) *Seneca Lib.* 4. *de Beneficijs.*
(b) *Mercurius Trifmegiſtus in Pimandro.*

,,moveatur, aut cum solarium, vel descriptum aut ex aqua ,, contemplere, intelligas declarari horas arte, non casu; ,, Mundum autem qui & has ipsas artes, & earum artifices, & ,, cuncta complectitur, consilii & rationis expertem putare ,, debeat? Quodsi in Scythiam sphæram aliquis tulerit, cu- ,, jus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole, Luna, & ,, quinque Stellis errantibus, quod in Cælo singulis diebus ,, & noctibus, quis in illa barbaria dubitet, quin ea sphæra ,, ratione perfecta sit? Hi autem dubitant de Mundo ca- ,, su ne sit, an necessitate aliqua, an ratione potiùs & ,, mente Divina. Hæc autem omnis descriptio siderum, ,, atque hic tantus Cæli ornatus, ex corporibus huc & ,, illuc casu, & temere concursantibus potuisse effici cul- ,, quam sano videri potest? Aut verò aliqua natura men- ,, tis & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non mo- ,, dò ut fierent ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint ,, sinè ratione non possunt? Hoc qui existimat fieri po- ,, tuisse, non intelligo cur non idem putet, Si innumerabiles ,, unius & viginti formæ literarum aliquò conjiciantur, ,, posse ex his in terram excussis Annales Ennii, ut deinceps ,, legi possint, effici; aut si mundum efficere potest concur- ,, sus atomorum, cur porticum, cur templum, cur do- ,, mum, cur Urbem quoque non possit, quæ sunt minùs ,, operosa & multò quidem faciliora? (a) Concesserim tamen per summum nefas Atheis, Mundum ,, immo & ,, hominis ipsius artus, & ossa, & nervos, & sanguinem de ,, atomis posse concrescere; quid sensus, cogitatio, mens, ,, ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt? (b) Sed cur longiùs amentiam horum persequar? Sufficiat dicere cum Tullio ,, animum mentemque hominis, ra- ,, tionem,

(a) *Cicero de Natura Deorum Lib. II. c. 34.*
(b) *Lactantius Lib. de ira Dei cap. 10.*

„tionem, consilium, prudentiam, qui non divinâ curâ „perfecta esse conspicit, his ipsis rebus mihi videri prorsus carere. (a)

Sed jam fortissimus instat aries, qui Atheorum perfidiam expugnet; Ipsa nimirum rerum contingentia, invictissimum omnium judiciô argumentum est, Deum existere. Et certè, experientiâ omnibus compertum est creatas hasce res existere, easque contingentes esse, videmus enim eas nasci, interire, atque corrumpi. Quo fit, ut admittere vel reluctantes cogamur, *ens à se* & necessario existens, quod rebus quæ contingenter existunt, suum deinde esse tribuerit. Quod quidem nisì concesserimus, in alterutrum absurdum inevitabiliter impingimus; totam videlicet entium collectionem *vel esse à nihilo*, *vel à se*. Hoc autem tali ratiociniô satìs facilè declaratur. Quodlibet ens est contingens, utì vel ipsi athei ultro consentiunt. Tota igitur entium collectio erit contingens; quippe in attributis quæ rei conveniunt intrinsecùs, qualis est *contingentia* in existendo, optimè à sensu distributivo ad collectivum arguimus. Jam si tota entium collectio est contingens; quod Atheus velit, nolit, fateri tamen compellitur; Tota entium collectio erit ab alio. Quod enim sibi ipsi esse tribuit, nunquam illud deperdit. Cum verò extra collectionem omnium entium nullum habeatur ens; *Collectio omnium entium erit à nihilo* tanquam à sua efficiente causa. Ecce unum absurdum! Quod si verò id falsum & omnino rationi rectæ dissonum sit, utì quidem est; Collectionem omnium entium *à se* habere, ut existat, necessum erit. Hoc porro est, quod Athei sentiunt; sed quàm temere, quàm ineptè, videamus. *Et quidem primò*: Si tota

(a) *Lib.* II. *de Natra Deorum.*

tota entium collectio sibi ipsi contulit esse, ideoque per naturalem consequentiam necessaria atque æterna est; ipsa quoque entia sigillatim sumpta necessaria & æterna inferre oportebit: quando quidem necessitas existendi collectioni omnium entium intrinsecùs, non contingenter, ùt Atheis placet, tribuitur. Attributum autem essentiale ex æquo inferioribus ac generi suo convenit. Quodsi entia sigillatim accepta æterna sunt, illa cæperunt nunquam, & nunquam desinent, adeoque contingentia non erunt. En alterum absurdum! *Deinde*. Si collectio omnium entium *à se* esse suum repetit; illa collectio Deus erit. Non enim nos aliud notione Dei accipimus, nisi *Ens à se*, *necessarium*, *æternum*, quod existentiam suam nulli alteri debeat, eam verò reliquis rebus omnibus tribuat. Quanta verò insania hisce rebus Divinitatem tribuere! *Denique*. Collectionem omnium entium contingentem esse, ideoque minimè *à se*, jam supra invictè demonstravimus. Qua suppositione necessariò admissa, si tota entium collectio est contingens, tota ita existit, ut non esse, ex æquo potuerit; & si ex æquo potuit non esse, nulla est ratio cur ad existendum potiùs quàm ad non existendum fuerit determinata; nisi fortè placeat dicere, illam collectionem determinasse se ipsam ad existendum, antequam existeret: quo certè nihil magìs absurdum est, nihilque risu magìs dignum. Datur igitur *necessarium ens*, & quidem tale, ut in eo contineatur ratio, cur contingentia entia existant. Et hoc Ens Deus est. „ Vides, ergo, in quæ de-
„ liramenta inciderint (athei) dum nolunt effectionem
„ curamque rerum Deo dare. (a) Nemo certè illa, præ-
„ ter unum Leucippum somniavit, a quo Democritus
„ eru-

(a) *Lactantius Libro de ira Dei cap. 10.*

„eruditus, hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro. (a)

Atque hæc sunt principalia rationum momenta, quibus Sapientissimi quique Viri, Existentiam DEI propugnando, Atheorum perfidiam atque impietatem jam dudum profligavere. Quæ quidem cum non satis quorundam ex Recentioribus Philosophis palato arriderent, alias illi, viam regiam deserendo, semitas iniivere; quibûs existentiæ supremi Numinis necessitatem in luce ponerent. Quàm verò feliciter id præstiterint, videndum nobis restat.

CONSECTARIA.

I.

CArtesius Vir aliàs summus, cui Philosophia, ea præsertim parte quæ naturæ phænomena spectat, non exiguam lucem atque ornatum in acceptis debet, novitatis tamen magnopere studiosus, a communi Scholarum sententia discendens, quasi a priori declarandam Numinis existentiam primus omnium suscepit. Quod ipse quà ex conceptu Entis summi, quà ex clara distinctaque illius idea præstare nititur. Audiamus igitur quid ille hac de re meditando secum differat. „ Itaque, inquit, sola re„stat idea Dei, in qua considerandum est, an aliquid sit, „quod a me ipso non potuerit proficisci. Dei nomine intel„ligo substantiam quandam, infinitam, independentem, „summè intelligentem, summè potentem, & a qua tum „ego ipse, tum aliud omne, si quid aliud extat, quod„cunque extat, creatum est. Quæ sanè omnia talia „sunt, ut quò diligentiùs attendo, tantò minùs a me so-

(a) *Idem Lib. III. Divin. Instit. cap. 17.*

„ lo profecta esse videantur. Ideoque ex ante dictis De-
„ um necessario existere est concludendum. (a) Ad ideas subinde suas pro more recurrens laudatus Vir, ex se ipso „sciscitatur. „ an ipse habens ideam entis perfectioris, es-
„se posset, si tale Ens nullum existeret. -- Et respondet --
„nempe, a quo essem? a me scilicet? vel a parentibus? vel
„ ab aliis quibuslibet, Deo minùs perfectis? (b) Tum pro re comperta tenet, esse quod habet alteri cuipiam deberi; cum illud non semper habuerit. Neque illud parentibus ex integro referendum censet, quia & illi sunt ab alio; & quia ipse possidet ideam Entis perfecti, quæ a creatura imperfecta ortum ducere non potuit. Concludit igitur tali ratiocinio Deum existere.

Sed multo clariùs hoc in proposito mentem suam aperit Meditatione quinta. „ Attendenti, ajit ille, fit ma-
„ nifestum, non magìs posse existentiam ab essentia Dei
„ separari, quàm ab essentia trianguli magnitudinem tri-
„ um ejus angulorum, æqualium duobus rectis; sive ab i-
„ dea montis, ideam vallis; adeo ut non magìs repugnet,
„ Deum cogitari (hoc est Ens summè perfectum) cui
„ desit existentia, hoc est, cui desit aliqua perfectio, quàm
„ cogitare montem, cui desit vallis. „

Quæ omnia quò meliùs ad trutinam vocentur, liceat tale ex ijs argumentum elicere. *Notio Dei præsefert ideam Entis summè perfecti. Una ex perfectionibus est realis existentia. Ens igitur illud summè perfectum realiter existit.* Sive. *Idea clara & distincta Entis summè perfecti est in me. Porro hæc idea cum sit me perfectior, à me esse non potest, & ob eandem rationem nec ab alia creatura. Existit igitur DEUS,*

qui hanc

(a) *Gassendus. dubit* 7. *in Meditat:* 3.
(b) *Idem ibidem dubit:* 9.

qui hanc ideam in me efficiat. Ecce tibi demonstrationes illas, quarum vi atque robore Cartesius existentiam Dei stabilire conatus est. Sed quàm leves, quàm infirmæ, quotusquisque est, qui non videat? Nisi enim præstò aliud Divinæ existentiæ demonstrandæ momentum adesset Cartesianum profectò ratiocinium ad deponendum errorem Atheum minimè impelleret.

Etenim concesserit Atheus, nomine Dei venire Ens summè perfectum. Numquid ideo, quòd Cartesius talem Dei ideam sibi animô repræsentet, realem ipsi in hac rerum universitate existentiam tribuit? audenter reponet. Aut si rem ita se habere necessum sit; pari jure hic Pegasum, montemve aureum in serie rerum existentium collocabit. Quodsi verò inde, si quis diceret in idea Pegasi perfecti contineri non tantùm perfectionem illam, quòd equus sit alis instructus, sed etiam illam, quòd existat: aut in idea montis aurei perfecti, nedum includi perfectionem illam quòd sit prægrandis quidam cumulus auri fusi, sed etiam illam quòd re ipsa existat: an propterea Pegasum montemve aureum habere existentiam satis colligitur? Ita quametsi cogites reperiri Ens omnem perfectionem includens, non proinde sequitur reipsa illud existere, nisi aliunde probes, non solo mentis conceptu existentiam illam comprehendi, sed de facto reperiri.

Existentiam quoque esse unam ex perfectionibus cujuspiam rei, ùt Cartesius rectè in Minori propositione asserit, neque Atheus inficiabitur; at verò in ijs duntaxat rebus, quæ in facto existunt, non ijs quibus ejusmodi perfectionem sola cogitatione nostra tribuimus; ùt in casu. Quodsi rursus contendat Cartesius Enti summè perfecto omnem prorsus perfectionem atque ideo etiam existentiam ipsam realem debere convenire; quis eum petere

principium, vel clausis oculis non videat? supponit quippe bonus hic Philosophus, tale Ens reapse existere, quod ipsi semper probandum restat.

Neque plus adfert Cartesius ad propositum cum sua Idea clara & distincta Entis summè perfecti. Equidem; præterquam quòd Atheus nihil sibi simile in mente obversari reponet: tamen non rectè ab ideis nostris ad statum rerum quem in natura obtinent, ratiocinamur. Quippe si solas ideas nostras consuluerimus, tam verum est hyppocentaurum ex homine & tauro, quàm hominem ex corpore & mente constare. Num verò ejusmodi perceptio conformis sit rei extra intellectum existenti, præstolari oportet, quousque, in statu reali experientia ipsa vel solida ratio criterium fiat, & certum judicium.

Argumentum igitur Cartesii ex clara distinctaque idea Entis summi nobis ingenita depromptum, existentiam Dei contra Atheos minimè probat.

II.

SEd jam lubet alterum argumenti genus ex Conceptu Entis Optimi expendere, in quo Recentiores nonnulli Philosophi confisi, plenam sibi victoriam gratulantur. Sic illi: Ens Optimum possibile est, nisi enim possibile esset, optimum non esset; impossibilitas quippe est maxima imperfectio, a cujus quidem vel minima umbra Ens Optimum infinitè distare debet. Igitur necessariò existit; aliàs si Ens optimum non existit, jam esset impossibile. Non absimili omnino ratiocinió, ac purum malum, seu Ens pessimum, cum excludat omnes perfectiones, & impossibile est; & necessariò existere nequit. Hinc, quale nam judicium de reliquis argumentorum momentis hac in

parte

parte ferendum sit, vel ex isto totius demonstrationis fonte & principio satìs intelligitur. Ego quidem non me ijs opponam; utpote qui vehementer gaudeo, si Supremi Numinis nostri existentia modîs pluribus demonstretur.

At verò (ùt sapienter advertit Acutissimus Philosophus P. Ferrari de Modoetia in sua Metaphysica) qui Deum negat, diceret consequenter non esse possibile Ens, quod omnem contineat perfectionem, quia nihil conciperet posse reperiri, nisi creatum, proindeque aliquam includens imperfectionem, adeoque non optimum. Quapropter licèt semel data Entis Optimi possibilitate, subinferatur illud existere; tamen hoc ipsum manet probandum contra Atheos tale Ens Optimum possibile esse. Immo verò adstruere illud Ens possibile, idem est ac illius existentiam asserere. Quare eodem modo, eodemque ratiocinio utrumque demonstrabitur. Accedit, quòd Ens Optimum non possumus concipere, nisi colligamus perfectiones omnes ex creaturis. Atheus verò putat, non posse colligi in uno Ente, quidquid perfectionis adinvenitur in ceteris. Igitur ad Creaturarum omnium contingentiam oportet ut tandem deveniamus, quâ & possibilitatem & existentiam *demonstremus Dei*.

Ad paritatem verò illam ab Ente pessimo deprompam, reponeret vim habere argumentum, si Ens optimum probaretur possibile, quod nullam habeat imperfectionem. Unde ea ratione qua Ens pessimum judicatur impossibile, quia alioquin si possibile esset, non ampliùs esset Ens pessimum; ita diceret Atheus, Ens Optimum non esse possibile, quia ratio Entis cum Optimo conjungi posse non probatur: & sibi videtur, rationem entis præseferre dependentiam ab alio. Igitur semper verum est.

Ex

Ex conceptu Entis Optimi, *uti quibusdam Recentioribus placet, petita ratione Atheorum impietatem non satis expugnari.*

III.

Mirari itaque satis nequeo tot Clarissimos Sapientissimosque Viros, omne operæ suæ pretium in confutanda Ateorum perfidia miserè perdidisse; dum non ex gentium omnium consensu, ex præclaro Mundi ornatu, & ordine, & ex rerum, uti vocant, existentia, earundemque motu, & aliis argumentis, quæ & à veteribus Philosophis, & à SS. Ecclesiæ Patribus feliciter sunt usurpata: sed nescio per quam somnii, deceptionis, delusionis semitam ab ipso Universo sese subducentes, ex claris distinctisque suis ideis, ùt aliàs diximus, supremi Numinis existentiam à priori, aut quasi à priori demonstrare contendunt. Qui quidem conatus quàm vani sint, ipsi viderint. Cum enim omnis rei principium & causam investigare difficile sit, tum primum & antiquissimum principium nempe Deum ad demonstrandum difficillimum est, quin immo impossibile, hoc probationum genere, quod ex antecedentibus & prioribus ducitur. Quippe Deus ipse nullam habet suæ existentiæ causam, sed necessitate suæ naturæ existit. Quis igitur Ejus *à priori* demonstrandam existentiam, nisi temerarius nimiùm fuerit, sibi pollicebitur? Sed neque demonstrari potest *quasi à priori*, ex suo conceptu, per prædicatum, quemadmodum Scholæ loquuntur convertibile, independenter tamen à creaturis. Quod enim mihi dabitur ejusmodi prædicatum evidenter notum existere, quin existentia illius prædicati ex creaturarum existentia inferatur? Num Summum Ens? num Optimum?

ptimum? hæc veró quàm parum ad rem conferant, jam vidimus; denuoque audenter asserimus:

Existentiam Dei, a priori, aut quasi a priori demonstrari non posse.

IV.

Longè ergo tutissima atque certissima via est; qua ex his creatis adspectabilibusque rebus Existentiam Dei cognoscimus; demonstramus.

„Invisibilia (quippe) Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga Mundum, ornatum „Cæli, fulgorem, dispositionemque siderum. Solem diei „sufficientem, Lunam noctis solatium. Interroga terram „fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam. Interroga Mare, quantis volatilibûs viget. Interroga omnia; & vide, si non sensu suo „tanquam sibi respondent: Deus nos fecit. Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte Artificem cognoverunt. (a)

Fingamus tamen in animo Atheum quempiam eò dementiæ atque proterviæ processisse, qui rationibûs superiùs expensîs minimè moveatur, dicatque. Quomodo fateri debeam dari Deum, tantumque onus mihi imponi patiar, cum Deum non videam? At bone Athee, mihi quidem in sinum tuum conspuere videris! Quomodo; „Non vides „inquis, quid crediturus sum? Anima tua videtur, ùt „opinor: stulte, corpus tuum videtur: animam tuam quis „videt? Cum ergo corpus tuum solùm videatur; quare „non sepeliris? Et respondet, (sapit enim adhuc) quia „vivo. Unde scis? (respondebit) quia loquor, quia ambulo,

(a) *Augustinus Sermone CXLI. de verbis Domini.*

„ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis a„gnoſcis viventem: ex operibus creaturæ, non potes a„gnoſcere Creatorem? (a)

Euge Athee! adhuc ne mihi hebes adeo, ſtupidus, atque plumbeus eris? *Bona verba*, inquis; *Naturam Dei capere ingenio non poſſum, neque notitiam ejus ratiocinio aſſequi.* Credas ſaltem univerſo generi humano eam re vera dari ſibi atteſtanti: ſi enim tibi aliquid aſſerenti, vis, ut credatur; cur non velis ipſe credere hominum Univerſitati clamanti Deum exiſtere, naturam nimirum aliquam omnem humanum captum ſuperantem? Sed dices rurſum, *non video, non capio, non credo!* Age verò; obſtinatè, num bonô animô id rei affirmas? *Amore utique veritatis & bonô animô te dubitare reponis*; Non credo. *Sed rogas, inſtaſque ut credam.* „ Cur vis, ut ego tibi credam, „ quod dicis, & ego non video, nimirum bonum ani„ mum tuum, qui toti Orbi atteſtanti Deum eſſe, cre„dere non vis, quia non capis, quia non vides? (b)

V.

NUlla ergo veritas eſt; quæ tam claris ſtabiliatur fundamentis, qualibus exiſtentia Supremi Numinis nititur; licèt Atheus ab oculis ſuis eam conetur avertere, ne ad Deum reduci cogatur. Dicere autem Dei exiſtentiam oneroſam eſſe, intoleranda blaſphemia eſt. Suavis eſt Deus: quòd ſi Atheo oneroſus videtur, id haud aliunde proficiſcitur, præterquam quòd impiorum mos eſt, Optimi ac juſti Principis poteſtatem formidare. *Quametſi verò*

ſuſpicari

(a) *Auguſtinus in Pſalmum LXXIII.*
(b) *Auguſt: Lib. II. de libero Arbitrio c. 2.*

suspicari meritò quis poterit, neminem extitisse verè Atheum, sive ùt dicunt speculativè, *qui Deum ex animo penitus negaverit: maximam tamen multitudinem & fuisse & nunc etiam extare, certissimum est, eorum qui* practicè *Athei nominantur.*

Equidem, quantumvis ex antiquatis illis veterum Philosophorum deliriis, non pauci repetantur, qui Divinitatem funditus negaverint; E quibus istos recenset Sextus Empiricus librô octavô contra Mathematicos, *Diagoram Melium, Prodicum Ceum, Euhemerum, Critiam, Theodorum* cognomentô *Atheum, Protagoram Abderitam, Epicurum,* qui ùt ait laudatus Author „ quod atttinet quidem ad vulgus reliquit Deum; quod spectat verò ad „rerum naturam nequaquam.„ E posterioribus quoque recensentur non nulli alii, ùt *Vaninus* & *Spinosa.* Etsi enim iste admittat, Deum esse Ens perfectissimum, atque hinc necessariam ejus existentiam concludat; quia tamen Ens perfectissimum non ijs attributis ornatum concipit, qualia nobis Divinæ Literæ repræsentant: sed è converso impiâ audaciâ contendere non erubescit, Deum sese talem revelâsse Canonicis Scriptoribus, qualem sibi eundem imaginabantur, ita ut ex Sacris Literis nihil præclari de Deo addisci possit; hinc jure meritoque, Theologi omnes & Philosophi rectè sentientes arbitrantur, hominem profanum inficiatum fuisse existentiam Dei, ipsumque Atheismi reum postulant. Tamen difficile admodum est, ut laudatos homines (si tamen homines dici merentur, & non potius humanæ naturæ opprobrium) aliosque hujus farinæ, quisquam sibi persuadeat eò stultitiæ devenisse; ut nullum esse Deum intimo conscientiæ sensu persuasum habuerint. Rectiùs fortasse dixerim illos, repugnante omninò interno conscientiæ stimulo, ita affectos fuisse, ut ubi Deum quem

nimiùm sentiebant, à mente & corde sustulissent, è naturæ quoque universitate tollendum perciperent. Similes illis, de quibus Jobi 21. v. 14. *Dixerunt Deo, recede à nobis & scientiam viarum tuarum nolumus.* Quorum insaniam deridet S. Augustinus Librô de vera Religione capite tricesimo octavo, dum enim uni Deo se subdere refugiunt, tot sibi confingunt Deos, quot sunt cupiditates quibus inserviunt,, Nego (inquit) esse quenquam isto-,, rum, qui nihil colendum existimant, qui non, aut car-,, nalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam fo-,, veat; aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita ne-,, scientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem ex-,, pectent. His autem rebus, quibûs quisque beatus vult,, effici, serviat necesse est velit, nolit.,,

Concesserim tamen, aliquos reapse mente Atheos extitisse, quos inter Ethiopum partem aliquam commemorat Diodorus Librô tertiô. & Acrothoitas narrat Simplicius in Epicteto, terrâ fuisse absorptos, cùm omnem Dei cultum respuerent; quales etiam in novo Orbe nunc extare, tradunt gentes, quarum tanta barbaries est, ut feras potiùs diceres, quàm homines. Totus tamen Mundus quovis tempore, & in eo cultioris ingenii homines adeo in Dei existentia asserenda conspirârunt; ut,, pauci inve-,, niantur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod scri-,, ptum est: *Dixit stultus in corde suo non est Deus.* Insa-,, nia ista paucorum est. Sicut enim magna pietas pau-,, corum est; ita & magna impietas nihilominus pauco-,, rum est. (a)

CON-

(a) *Augustinus Serm: 10. aliàs serm: 69. de verbis Domini.*

CONCLUSIO II.

Proprius ac peculiaris Divinæ Eſſentiæ Character eſt omnimoda independentia ſeu Aſſeitas; ceterarum illarumque infinitarum in Deo perfectionum fons, & origo.

HActenus pro aſſerenda Supremi Numinis exiſtentia, non infelicibûs, ni mea me fallit opinio, armîs contra Atheum decertatum eſt; quam quidem in tanto lumine videre, utì nihil facilius, ita nihil difficilius prout illud *quid ſit DEUS?* inveſtigare. „ Roges me (inquit Cicero) „ quid, aut quale ſit Deus? auctore utar Simonide, de quo „ cùm idem quæſiviſſet Tyrannus Hiero, deliberandi causâ, „ ſibi diem unum poſtulavit. Cùm idem ex eo poſtri- „ die quæreret, biduum petivit. Cùm ſæpiùs duplicaret „ numerum dierum, admiranſque Hiero requireret, cur „ id faceret? QUIA QUANTO, inquit, DIUTIUS CON- „ SIDERO, TANTO MIHI RES VIDETUR OBSCURIOR. (a) Deum tamen eſſe Ens omnium perfectiſſimum, ex communi etiam tam doctorum, quàm indoctorum ſenſu manifeſtum eſt. „ Omnes enim certa- „ tim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inve- „ niri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quô melius ali- „ quid eſt. Itaque hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, „ quod ceteris rebus omnibus anteponunt. (b)

Plurimi itaque quà Philoſophi, quà Theologi exi-

(a) *Lib: 1. de natura Deorum cap 22.*
(b) *Augu ſtinus Lib. 1. de doctrina Chriſt. n. 7. aliàs c. 7.*

ſtimant Dei naturam & eſſentiam in hoc uno poſitam eſſe, quòd ille infinitis perfectionibûs exornetur, ſive quòd ille in omni perfectionum genere ſit infinitus, aut infinitum perfectionum cumulum complectatur. Cumque perfectiones ita diſtinguant, ut aliquas eſſe velint aut vocent *perfectiones ſimpliciter*, quæ nimirum adjunctum non habeant defectum ullum, neque meliori perfectioni opponantur, ùt *ſapientia, juſtitia, bonitas*, &c. alias verò *perfectiones ſecundùm quid*, quæ nimirum adjunctum habent defectum aliquem, & alteri majori perfectioni comparantur, ut argenti *albedo* reſpectu nivis &c. perfectiones primi generis formaliter, ſive ſecundum propriam *formam* ac entitatem in Deo reperiri volunt, ut ille formaliter *ſapiens, juſtus, bonus*, dicatur; perfectiones verò ſecundi generis *virtualiter* ſolùm ac eminenter in Deo reperiantur, ut Deus non formaliter *albus*, & *calidus* ſit, ſed *eminenter* ſolùm, hoc eſt nobiliori quodam modo, & in virtute, quatenus albedinem & calorem producere & conſervare poteſt; quemadmodum fere gravitas aut frigus, quòd reperiatur in ferro, concipi etiam poterit, vel ineſſe *formaliter* in auro; valor tamen, qui reperitur in ferro, virtualiter ſolùm & *eminenter* reperitur in auro, cum nempe ferri præſtantia, valor, aut pretium in nobiliori, majorique auri valore contineatur; & quidquid ferri valore comparari poteſt, aurô quoq; præſtari poſſit.

Quando quidem tamen in infinitis ejuſmodi perfectionibus ordo quidam, ſive connexio reperitur, ut una ex alia pendere, omneſque ſimul ex aliquo principio oriri videantur, hinc meritò inquiritur, quænam ex his proprietatibus aliarum fons, & origo concipi debeat, ſive quo clariori certiorique diſcrimine Deus ipſe ab alia quacunque re diſtinguatur.

Thomi-

Thomistæ, ut alios mittam, duplicem fere potentiam vel agendi modum in Deo concipiunt, quô nimirum intelligat ac velit, vel ùt inquiunt ipsi, *intelligere* & *velle*; cumque intelligere vel ipsam intelligendi vim nobiliorem esse arbitrentur actu volendi, in intellectione ipsa veluti operationum omnium ac perfectionum fonte, Dei naturam, & essentiam positam esse arbitrantur; alii quidem in *intelligere radicali*, potentia nimirum sive vi intelligendi; alii verò longè verisimiliùs in *intelligere actuali*, idest in actu, quô intelligendi vis exeritur, & exercetur. Cùm tamen intelligere & velle veluti potentiæ quædam, vel operationes concipi soleant, neque operatio quædam intelligi, sive concipi possit, nisi priùs concipiatur esse quod intelligit, ac operatur, ipsum intelligere & operari veluti primum Dei constitutivum haberi non poterit: cum præsertim intelligere non Angelis modò, sed ipsi quoque humanæ menti communicetur.

Accuratiùs ergo è Thomistis loquuntur ij, qui proprium veluti Dei characterem, sive constitutivum esse arbitrantur *independentiam*, quòd nempe Deus à nullo dependeat, à nullo receperit esse, sed à se ipso, vel in se ipso, non liberè & contingenter, sed necessariò semper fuerit; unde hæc independentia, vel, ùt minùs latinè loquuntur ipsi, *asseitas*, nulli unquam alteri convenire poterit, quàm soli Deo; ac licèt Deus ipse proprietates omnes, ac attributa propria creaturis communicare possit, ut illæ quoque spirituales, activæ, immortales, & in aliquo genere infinitæ sint, hanc ipsam tamen *asseitatem*, sive independentiam ab alio, alteri communicare non poterit; quin etiam in Creaturæ idea sive conceptu, dependentia ab alio involvitur sivè clarissimè effulget. Quod celebri & illustri Scripturæ testi-

ræ testimoniô confirmari, & illustrari facilè poterit. Cùm enim Deus naturam nomenque proprium, Moysi roganti exponere vellet, quô veluti charactere tanquam verus Deus agnosci posset, ait *Ego sum qui sum* (a) vel ùt expressiùs in græco textu legitur, *sum ipsum Ens*; unde inferiùs etiam Moyses ab ipso Deo eruditus, Divinam naturam exprimens ait, *qui est, misit me ad vos*, quemadmodum etiam Apostolus Joannes de Deo loquens inquit, *qui est, qui erat, & qui venturus est* (b) ac si verus & proprius Divinæ naturæ character, sit hæc *asseitas* vel independentia. Hinc D. Hilarius superiora Scripturæ verba considerans ait „ admiratus sum tam absolutam Dei significationem, „ quâ naturæ Divinæ incomprehensibilem cognitionem „ aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loquere- „ tur. Non enim aliquid magìs proprium Deo, quàm „ esse intelligitur, quia id ipsum, quod est, neque desinen- „ tis est aliquando neque cæpti (c) Pulcherrima quoque inductione sententiæ nostræ subcribit S. Augustinus, qui observans Deum postquam dixerat Moysi *Ego sum qui sum*, Dices *filiis Israël, Qui est, misit me ad vos*, rursus eidem Moysi dixisse: *Vade dic filiis Israël, Deus Abraham & Deus Isaac misit me ad vos.* Ita Deum per Moysen interrogat „ Certe Domine nomen illud habens: quia & tu „ dixisti Ego sum - - - - Unde modò mutasti nomen, ut „ diceres Deus Abraham &c? (subinde inducit Deum Moysi sic respondentem) Quòd dixi ego sum, qui sum- „ verum est, sed non capis. Quod autem dixi, Ego sum „ Deus Abraham &c. & verum est, & capis. Quòd enim „ Ego sum, qui sum, ad me pertinet: quòd autem Deus „ Abra-

(a) *Exodi cap. 3. v. 14.*
(b) *Apocal: C. I. v. 4.*
(c) *Libro II. de Trinitate.*

„Abraham, & Deus Isaac, &c. ad te pertinet, & si de„ficis in eo, quod mihi sum; cape, quod tibi sum. (a) Ex quibus manifestè intelligimus, *qui est*, esse prædicatum Dei, ùt in se est, reliqua verò quatenus respicit alia à se: Prædicatum verò quod dicitur de Deo in se, prius est prædicatis quæ de Deo dicuntur in ordinè ad alia. Prædicatum igitur, *qui est*, prius est reliquis omnibus perfectionibûs, meritoque fons & origo earum. Ipse quoque Doctor Angelicus, quametsi in contrariam sententiam à nonnullis pertrahatur, ingenuè tamen fatetur hoc ipsum nomen, *qui est*, esse nomen propriissimum Dei. (b)

Neque mirari certè quis poterit, quòd Dei natura negativè solùm exprimatur, asserendo nempe, quòd ille dependentiâ, sive principiô careat; ingenuè siquidem fatendum est, quòd Dei natura sive essentia, sive „ Deus ipse Inef„fabilis est, faciliùs dicimus, quid non sit, quàm quid „sit (c) cùmque à nobis inquiritur „ quid est? hoc so„lùm dicere possumus, quid non sit. „ Immo verò„ quæ„cunque de Deo per affirmationem dicimus, non Dei „naturam, sed quæ circa illius naturam sunt, ostendunt. „Ita sive bonum, sive justum, sive sapientem, sive quod„cunque tandem aliud dixeris, non Dei naturam, sed „quæ circa naturam sunt, exponis. (d) Itaque licèt hæc independentia ab alio, vel *asseitas* negativè exprimatur, propriam tamen ac positivam perfectionem continet, quâ Deus in se ipso existere, vel sibimet ipsi tribuere concipitur esse, quod habet; quemadmodum perfectiones aliæ, vel attributa etsi positiva, ac realia sint, ùt *immortalitas*, *infinitudo* &c. negativè tamen exprimi solent; sive quòd ita

clariùs

(a) *in Psalm: 134. num. 6.*
(b) 1. *parte q.* 13. *ar.* 11.
(c) *Augustin9 in Psal.* 85.
(d) *Damascenus lib.* 1. *de Fide.*

clariùs & nitidiùs á nobis concipiantur; sive potiùs quòd clarioribus verbis careamus: ideoque cùm Deus,, lucem „inhabitet inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, „sed nec videre potest (a) illius perfectiones, & essentia à nobis concipi, sive videri non potest, aut etiamsi mentis acies in illam defigatur, hæc ineffabili vehementissimaque luce perstringitur, ac fere opprimitur: ùt clare & eleganter inquit scriptura, scrutator Majestatis opprimetur à gloria. (b)

CONSECTARIA.

CUm Deus sit illud Ens, quô majus sive perfectius nec esse nec fingi possit; quis perfectissimæ, atque præstantissimæ suæ substantiæ admirabiles atque infinitas perfectiones, quæ & proprietates & attributa dici amant, inesse facile manifestissimeque non intelliget? Quæ omnia singillatim recensere humana conditio non patitur. Summa igitur veluti rerum genera brevibus complecti lubet; in quibus illa duntaxat Divinæ naturæ attributa subjiciemus, quæ pro mortali hac vita nostra, clariùs nitidiùsque in Deo perspicimus. Atque ut ab ijs ordiamur, quæ proximè & immediatè ex Dei natura superiùs explicata dimanare videntur;

I.

In Deo SPIRITUALITAS, SIMPLICITAS, ÆTERNITAS *admitti debet.*

1. EQuidem cùm à Deo tanquam à prima causa, fonte & ori-

(a) *Ad Timoth. I. c. 6. v. 16.*
(b) *Prov: c. 35. v. 27.*

rigine sua. Mundum hunc adspectabilem, & quæ in illo sunt, profecta esse intelligamus, ùt ex iis quæ dicta superiori loco à nobis sunt, satìs superque patet. Mundus verò fieri non potuit, nisi ab Ente summa intelligentia prædito; præsertim cùm effectus omnes maxima & incredibili cognitione & sapientia producti fuerint, immo verò ex rerum creatarum serie aliquæ spirituales sunt. Fateamur igitur oportet illorum causam nempe DEUM *Spiritualem & incorporeum esse.* Prout reapse est: „ Mens quædam soluta, & libera, secreta ab omni con„ cretione mortali, omnia sentiens & movens „ (a)

2. Divinam porro mentem nulli corpori esse copulatam, omnique prorsus reali compositione carere, hac una eaque validissima ratione ostenditur. Deum esse Ens in omni genere infinitè perfectum, ille forsitan negaverit, qui existentiam Ejus impudenter & malignè inficiabitur. Siquidem infinitè perfectum in omni genere est Ens, quod in nullo perfectionis genere ad certum gradum limitatur. Quis verò Deo terminos constituet, cùm nullum sit Ens, cui Deus subjiciatur? Sibi autem ipsi Deus injurius esse non potest; cùm fieri nequeat, ut quod sibi sufficiens ratio existendi est, sibi quoque sufficiens non sit ratio continendi in quovis genere perfectionis omnem illius gradum possibilem. Erit ergo Deus etiam *summè simplex.* Etenim ùt egregiè observat Angelicus Doctor „ in quolibet genere tantò aliquid est nobi„ lius, quantò simplicius, sicut in genere calidi ignis, qui „ non habet aliquam permixtionem frigidi. Quod igi„ tur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse „ in fine simplicitatis. Hoc autem quod dicimus in fine

 „ no-

(a) *Cicero apud Augustinum Lib. XXII. de civ. Dei c.* 20.

„nobilitatis omnium entium, dicimus Deum. Nulla i-
„gitur compositio ei accidere potest. „ (a)

3. Quametsi„ Deum æternum esse, cunctorum ra-
„tione degentium commune judicum sit; „ (b) cum nul-
lum inveniri liceat doctissimo *Petavio* teste, „ qui non
„æternum, qualecumque tandem finxerit sibi, Numen
„agnoscat„ (c) non desunt tamen & rationum mo-
menta, quibus æternitas Dei, „ interminabilis (nempe)
„vitæ tota simul, & perfecta possessio „ (d) evincitur.
Quippe quod à se vivit, ex æterno & in æternum vivit; se
ipsum enim deserere non potest. Igitur quoniam à se est
Deus, nunquam non esse potuit. *Deinde* Deus est ita pri-
mum ens, ut nullum sit, nec esse possit à quo dependeat.
Ergo ita existit, ut neque habuerit existendi initium,
neque habiturus sit finem. Repugnat quippe, ut cepe-
rit esse, quod non habet, à quo illud accipiat; utque pe-
nitus extinguatur & pereat, quod nulli subjicitur. Con-
venit itaque per omnia Deo æternitas. Ipsa autem æter-
nitas superior est longè mentis nostræ angustiis, omnem-
que ingenii aciem prorsus effugit. Quare meritò excla-
mabat Augustinus„ Quis tenebit cor hominis, & figet
„illud, ut paululum stet, & paululum rapiat splendorem
„semper stantis æternitatis, & videat esse incomparabi-
„lem, & videat, longum tempus, nisi ex multis prætere-
„untibus motibus, qui simul extendi non possunt, lon-
„gum non fieri; non autem præterire quidquam in æter-
„no, sed totum esse præsens. „ (e)

II.

(a) *Libro I. contra Gentiles cap.* 18. (d) *Boëtius Lib. V. de Consol. loc: citato*
(b) *Boëtius Lib. V. de Consol. Philos. prosa* 6. (e) *Lib. XI. Confession cap* 11.
(c) *Tom. I. Theol. Dogmat. L. III. cap.* 3.

II.

Pari etiam jure, in DEO, IMMUTABILITAS, IMMENSITAS, INFINITAS *defenditur*.

1. DEum mutationi esse obnoxium turpiter olim arbitrabantur Stoici, si danda Origeni fides est. (a) Novissimis autem hisce temporibûs hac super re pessimè unà cum Vorstio homine Calvini partium, sentiunt Sociniani. Ajunt enim Deum immutabilem quidem esse, quò ad substantiam, at in suis decretis mutari. At verò utraque hæc æquè impia ac Deo indigna perversorum hominum opinio sua mole sponte corruit.

Equidem si Dei notione, Ens adeo in omni linea perfectum, ut aliud illo perfectius nec esse nec fingi possit, omnes quotquot ratione præditi intelligunt. Deum hujuscemodi esse, ut nulla penitus possit ratione mutari, quotus quisque inficiabitur? „ Omne enim quod mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Si in deterius, fit pejus. „ Si in melius, jam antea malum erat. (b)

Neque certè nos movent levissima illa quorundam objecta; alterum à pœnitentia Dei, *quòd hominem fecisset*, (c) alterum, à productione Mundi in tempore, petita, quibûs mutationem & inconstantiam supremo Numini imputare contendunt.

Quippe pœnitere Deus dicitur impropriè, metaphoricé, & quò ad effectum; non veró propriè, intrinsecè & quò ad affectum, quemadmodum Scholastici rectè distinguunt. „ Neque enim, (ùt egregiè monet S. Ambrosius) „ DEUS cogitat, sicut homines, ut aliqua ei nova succedat

(a) *Lib. III. contra Celsum.*
(b) *Sallustius lib: de Diis & Mundo.*
(c) *Genesços Cap. VI. v. 6.*

„ cedat sententia; neque' irascitur, quasi mutabilis: sed „ ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostro- „ rum acerbitas, quæ divinam meruit offensam, tanquam „ eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui natura- „ liter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, „ provocatus videatur ad iracundiam. (a)

Deum autem operari in tempore dicimus, quia est in tempore, quod facere ab æterno decrevit; unde nulla *intrinseca* in illo contingit mutatio, licèt propter *extrinsecam denominationem*, quæ ipsi à nobis in tempore tribuitur, mutatio in eo, cùm res primùm existit, contingere videatur. Equidem „ nobis fas non est credere (inquit S. „ Augustinus) aliter Deum affici, cùm vacat, aliter cùm „ operatur; quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus „ natura fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe „ qui afficitur, & mutabile est omne, quod aliquid pati- „ tur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, „ desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, in- „ dustria. Novit quiescens agere, & agens quiescere. (b) Igitur:

Non cæptum, aut auctum, non huic mutabile quidquam est,
Quod subeat leges temporis, aut numeri.
Virtus præteritis prior, ulteriorque futuris,
Nil recipit varium, nil habet occiduum. (c)

2. Quodsi Plotino teste constat „ apud omnes ho- „ mines, qui de Diis aliquid cogitant, Deos ubique præsen- „ tes esse, (d) sive ùt dicebat Thales, Diis plena esse o- „ mnia, (e) & post eum Virgilius Georgicon Libro IV. Deum

(a) *Libro de Noë & arca cap. IV.*
(b) *Libr: XII. de Civit: Dei.*
(c) *S. Prosper in Epigrammate tertio.*
(d) *Ennead VI. Lib. V. c. 4.*
(e) *Apud Arist. Lib. I. de anima cap. 5.*

Deum - - - ire per omnes.'
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum:

Mirandum certè est, extitisse qui Divinæ substantiæ immensitatem inficiarentur. Inter quos, ut mittam Platonem & Aristotelem, quorum primus Deum, ideasque in supremo immobilique cælo collocavit; secundus in summo cæli vertice manentem omnia moderari reposuit: taceamque Stoicos, qui adnotante Plutarcho (a) Deum asserebant esse omne Ens, spiritumque qui totum pervadit Mundum; unde & dicebant, Dei velut corpus esse Mundum, ejusque membra elementa, partesque ceteras Universi. E quorum numero dicebat Cato *Iuppiter est quodcunque vides*: ut mittam inquam Gentiles quà Pòëtas quà Philosophos, qui aut certo circumscriptum loco, aut corporeum Deum esse dicebant; opinabantur olim rudiores Judæi & Samaritani Deum non ubique existere. „Utrorumque, siquidem, præsumptio, aut collis editô, „ aut extructæ domûs concavô Deum, intra quem omnia, „ & extra quem nihil ejus capax est, continebat „ (b) In idem fere delirium incidere etiam Valentiniani, Gnostici, & Manichæi. Quametsi enim horum postremi, si S. Augustino credimus, (c) Deum infinita mole diffusum arbitrarentur, non undique tamen sed tribus quadris infinitum atque condensum, ex una fissum, patentem esse dixerunt. Pessimè demum de Divina *immensitate*, seu perfectione illa, qua Deus rebus omnibus à se creatis intimè inhæret, sive infinitis etiam à se creabilibus inesse poterit; nuper sentiunt Sociniani. Concedunt quippe Deum ubique esse per *operationem*. At negant per *substantiam*.

At

(a) *Lib. I, Cap. 7. de placitis Philosophorum.*

(b) *Hilarius Lib. II. de Trinitate.*

(c) *Libro contra Epistolam Fundamenti num. 25. alias 23.*

At verò, cùm DEUS non modò ſingulos effectus producere, ſed etiam conſervare, atque ad operandum impellere videatur, illis intimè ſemper adeſſe debet, ùt optimè clariſſimèque dixit Apoſtolus „ neque enim diſtat ab unoquoque noſtrûm, in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus „ (a) Enimverò; quid Deum uni loco tantùm addicere poterit; propriane *libertas*, an *neceſſitas* quædam inſuperabilis? Primum ſi afferas; tranſire Deum de uno loco in alium fingere non potes, quin *immutabilitatem* Ipſius omnino infringas? Alterum temerarius nonniſi dixerit; cùm nulla plane ſit ratio, cur uni loco potiùs, quàm alteri præſens neceſſariò exiſtat. Sic itaque „ eſt DEUS „ per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas Mundi, ſed ſub„ ſtantia creatrix Mundi, ſine labore regens, & ſine one„ re continens Mundum. Non tamen per ſpatia loco„ rum, quaſi mole diffuſa, ita ut in dimidio Mundi cor„ pore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque i„ ta per totum totus, ſed in ſolo cælo totus, & in ſola „ terra totus, & in cælo, & in terra totus, & nullo con„ tentus loco, ſed in ſe ipſo ubique totus. „ (b)

3. Quametſi ex dictis hactenus ſuperabunde intelligatur ad naturam ſupremi Numinis pertinere; ut illud ſit in omni genere Entis ſeu perfectionis infinitum & illimitatum; quod quidem confitentur omnes, qui Dei notionem habent: auſus tamen eſt contendere adverſùs iſthanc veritatem, homo verſipelis & malignus *Benedictus* ille *Spinoſa*, ex Judæo Chriſtianus, ſi tamen hoc nomine dignus, qui nulli Religioni addictus, Divinitati ipſi, medio ſeculô elapſô, bellum indixerat. Hic loquens de Deo, impiè

effu-

(a) *Actuum 17. v. 27.*
(b) *S. Auguſtinus Epiſtolâ CLXXXVII.*

effutit ,, Eum non eſſe Ens infinitè perfectum & beatum, ,, ſed aliud non eſſe illum, quàm virtutem naturæ, quæ in ,, omnibus creaturis diffuſa eſt ,, (a) Quidquid tamen is de Deo ſenſerit, nobis cum iſtiuſmodi hominum ſceleratiſſimo res minimè eſt. Quis enim eandem eſſe poſſe Dei & Mundi ſubſtantiam dixerit, niſi par itidem ſit, ùt patet, utriuſque conditio?

Ex ipſa nihilominus independentia ſeu Aſſeitate Dei, *Infinitas* Ejus ſua ſponte fluit. Ens quippe neceſſarium & prorſus independens, limitari non poteſt, nec reſtringi ad certas quasdam perfectiones. Aut enim ſe ipſum reſtringeret; & ſic ſibi ipſi foret injurium. Cùm verò nemo non poſſit ſe ipſum amare, nemo quoque ſe ipſum limitare, aut aliqua perfectione privare poterit. Hanc autem Deo inferre injuriam alius nemo poteſt. Cui enim in Deum jus eſt, aut poteſtas? Eſt adeo Deus Ens Infinitum, quia eſt Ens à ſe exiſtens.

III.
Sed & in Deo, PULCHRITUDO, & OMNIPOTENTIA, & OMNISCIENTIA *mirificè relucet.*

1. ABſolutam & immenſam ſupremi Numinis pulchritudinem aſſeverantes, non in corporum pulchritudinem oculos conjicimus; quatenus hæc proportionem rectamque diſpoſitionem partium repræſentat, quæve ab objectis viſis orta, ſenſus noſtros allicit & oblectat. Unde pulchram rem eſſe judicamus ex hac ſenſibili delectatione. ,, Pulchritudo quippe, quæ in corporis elegantia ,, & apta membrorum compoſitione animô fingitur, tem-

,, poris

(a) *In Tractatu Theologico-Politico Amburgi 1670. impreſſo.*

„ poris & morbi ludibrium est „ (a) Intendimus potiùs aciem mentis in illam pulchritudinem, quæ in animo residet, atque in virtute sita est omni, & in ea maximè quæ in proportione ac quadam aptatione consistit; quæ est Justitia. Unde ea quæ justè, fortiter, temperatè, ac rectè denique facta sunt, pulchra & laude esse digna judicamus.

Jam si animum ejusmodi præclaris dotibus ornatum, pulchrum & elegantem dicimus; quid de pulchritudine Dei, à quo omnis virtus proficiscitur, quæ sola nos similes Deo facit, sentiendum sit? nemo non videt. Est pulchritudo, convenientia quædam rei cum illa perfecta specie & exemplari, ad quod exigi naturâ suâ postulat? DEUS est primaria rerum omnium idea & exemplar. Exemplar verò non mendo cuipiam, non vitio obnoxium, sed omni numero absolutum & perfectum. Non adeo Deum pulchrum, immo verò fontem omnis pulchritudinis putabimus? Quid, si DEUS bonitate atque jucunditate sua, & mentem & cor hominis penitus expleat, utì reapse explet & exsatiat; an non ideo universam vim & rationem pulchritudinis exhaurit? An non denique „ Mundus ipse ordinatissima „ sua mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium „ pulcherrima specie, quodammodo tacitus, & factum se „ esse, & non nisi à Deo ineffabiliter, atque invisibiliter „ magno, & ineffabiliter, atque invisibiliter pulchro, fieri „ se potuisse proclamat? „ (b)

2. Atque hæc ipsa rerum creaturum Universitas, nedum pulchritudinem summam, sed & inexhaustam DEI *Omnipotentiam* commendat, testatur que. Quæ quidem summa

(a) *Gregorius Naz. Orat.* 31.
(b) *Augustin9 Lib. XI. de Civit. cap. IV.*

ſumma efficiendi virtus & poteſtas, ceteris Dei perfectio nibus dat ſplendorem, & mentibus noſtris ingenerat admirationem. Non enim uſquam ampliùs Eſſentia relucet, quàm in virtute, & naturæ excellentia in poteſtate manifeſtatur. Meritò adeo poſtulabat olim S. Auguſtinus,, „ non dico da mihi Chriſtianum, da mihi Judæum; ſed „ da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum ſer- „ vum, qui non dicat Deum eſſe Omnipotentem. Nega- „ re Chriſtum poteſt; negare omnipotentem Deum non „ poteſt. (a)

Omnipotentiam autem Dei voco: pleniſſimam illam ſummam & infinitam virtutem ad quodcunque non repugnat producendum. „ Qui enim eſt omnipotens, nihil „ eſt, quod ille non poſſit. „ (b) Et quamvis non infinitos effectus Deus produxerit, ſed omnia potiùs fecerit *in numero, pondere, & menſura*, (c) infinitam tamen vim in producendis illis exercuit, cùm ex nihilo illos produxerit; quod ſine infinita potentia fieri certè non poteſt, qua infinitum intervallum ſive diſcrimen illud ſuperaretur, quod inter *Ens* & *nihil*, ſive inter *eſſe* ac *non eſſe* reperitur. Præterea ſicuti ex infinitis effectibus poſſibilibus, aliquos ex nihilo producere potuit, ac libere produxit, ita quoque ceteros omnes, licèt infinitos producere potuit; ideoque etſi eam non exerat, *Omnipotentiam* tamen habere debet.

3. Eadem lege, qua nihil Omnipotentiam Dei, aut effugere, aut exhaurire diximus; nihil omnino etiam eſſe, ſive poſſibile ſive futurum, quod Deus perfe-

 ctiſſime

(a) *Serm: CXXXIX. de tempore cap.* 2.
(b) *Boëtius Lib. III. de Conſol. proſa* 2.
(c) *Sapientiæ C. II. v.* 21.

ctissimè non cognoscat, asseveramus. Equidem „ Divi- „ nitatis id proprium est, ut nihil ignoret. (a) Quam quidem infinitam Dei cognitionem, *Omniscientiam* plerique vocare solent, quæ non modò ex illius spiritualitate & intellectu, qui sine cognitione vel scientia perfectus esse vel haberi non posset, sed ex illius etiam operationibus facili admodùm negotiô demonstratur. Etenim *possibile* nihil est, quod non subsit Divinæ potentiæ; nihil *futurum* est, quod cùm Deus aut facturus aut permissurus sit, independenter à Deo habeat, ut sit futurum. Nihil adeo possibile aut futurum est, quod Divinam scientiam fugiat. Ut enim *potentia* Dei non esset infinita, si aliquod possibilium facere ipsa nequiret, ita infinita non esset Divina *Scientia*, si illorum aliquod ipsam lateret. Velle autem Deum latere, quod ille jam facturus est aut permissurus, extrema dementia est. „ Deo, igitur, tanquam in „ puro lumine manifesta sunt omnia. Nam & ad intima „ animæ usque penetrans, quæ minimè adspectabilia sunt „ ceteris, natura sua perspicuè videt: ac prudentia & „ providentia utens, propriis virtutibus, nihil evagari li- „ beriùs, & incomprehensionem suam effugere patitur. „ Quandoquidem ne futurorum quidem obcuritas, ad „ illum pertinet. „ (b)

IV.

ATque hæc sunt Attributa Dei, quæ aliquo probationis genere, contra perversos malignosque non nullos homines egere visa sunt: nunc illa, sese offerunt, quæ argumen-

(a) *S. Cirillus Lib.* XXXII. *Thesauri;*
(b) *Philo libro de Immutabilitate Dei.*

argumentatione probare non attinet. E quorum numero sunt, BONITAS. MISERICORDIA. JUSTITIA. quæ *in Deo admitti omnino debent.* BONITAS quidem, illa perfectio, qua proprium esse, perfectionesque suas creaturis communicet, vel uberrimè largiatur: MISERICORDIA, qua figmentum nostrum ipse cognoscens, quoniam pulvis sumus, reis injustisque subinde parcat, sive gratiam largiatur, qua justificemur, ejusque iram atque vindictam fugiamus: JUSTITIA, qua sui suarumque legum contemptores homines puniat. Ex *Bonitate* quippe Deum, supremum atque providum Universi Rectorem agnoscimus; *Misericordiâ* ad amandum quà Patrem excitamur, ob *severitatem Justitiæ*, reveremur ùt Judicem, atque in officio continemur.

V.

Sed & Deum summè Veracem sive fidelem esse, fateamur oportet.

QUi enim infinita cognitione pollet, falli non potest. Et qui infinitè bonus ac justus est, neminem potest aut vult fallere, vel in errorem aliquem inducere. Jam si res homine prorsus indigna, verbô non stare; quantò magis fidelis Deus, ea quæ fortassis promiserit, constantissimè efficiet?

Infinitus denique forem, quòdsi eodem ordine, eademque ratione, ceteras Deo inesse perfectiones, ostendere adniterer. Unum in præsentiarum coronidis locô monuisse par est. Quidquid boni sive perfecti in creaturis adspicimus, ex ipsoDeo repeti, ac veluti uberrimo fonte hauriri debet. Deinde, cùm natura infinita, qualem esse

Divinam nuper ostendimus, infinitas virtutes, attributa, perfectiones sibi vendicet: Divinis attributis & perfectionibus, nec numerum esse, nec mensuram.

CONCLUSIO III.

Unus tantùm est DEUS.

QUemadmodum *Athei* nullum Deum admittunt, ita *Polythei* ex adverso, plures extare Deos turpiter arbitrantur. Par omnino partis utriusque amentia. Idem quippe est, plures Deos velle, ac nullum. „ Nam si plu-
„ res essent Dii, essent differentes: atque adeo omnes im-
„ perfecti: nam in ea nota, in qua differrent ab invicem,
„ deficerent. Imperfectum autem Deum, nemo dixerit.
„ cùm absurdum sit, eum qui est à se, non perfectum o-
„ mni ex parte esse. Aut enim sibi dare, quod summum,
„ perfectissimumque est, non potest; aut non vult. Non
„ primum; quia qui á se esse potest, omnia potest: Non
„ alterum; nam qui se plenè scit, scit etiam, quod sibi opti-
„ mum sit: non demum tertium; quis enim cùm summè
„ potest, & novit, non quod perfectum est; voluerit: pre-
„ henderitque? Est adeo unus perfectusque Deus. „ (a)

Quæ quidem veritas, vel interiori naturæ impulsu in lucem prodit. Omnes etenim, ne ijs demum exceptis, qui plures esse Deos autumant, eò, ipsa ut ita dicam impellente natura, feruntur; ut unum veluti parentem optimum, summumque moderatorem, in periculis invocent, illius opem implorent, eique uni, cùm res illis succedit

ex voto

(a) *Lucas Opaliński O ffic. Lib. III. Cap.* 1.

ex voto, gratias referant. „ Audio vulgus, inquit *Mi-*
„ *nucius Felix*, cùm ad cælum manum tendunt, nihil ali-
„ ud quàm Deum dicunt; & Deus magnus est; & Deus
„ verus est; & si Deus dederit; (a) atque teste Lactan-
„ tio, cùm jurant, & cùm optant, & cùm gratias agunt,
„ non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant.
„ Adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pe-
„ ctoribus erumpit. „ (b)

Summa itidem Dei necessitas, ejusdem Unitatem o-stendit. Nam si sunt duo summè necessaria, vel ita sunt, ut unus possit existere sine altero, vel alterius ut existat, ope indiget? Si primum? satis est ille unus, & alter su-pervacaneus est. Si alterum? nullus Deus est, quia nul-lus ex ijs est Ens summè necessarium. Quod enim est na-turæ summè necessariæ; alterius ope ut sit, haud in-diget.

Deinde Divinam unitatem vel ex ipsa Mundi guber-natione amplissimè deducimus. Equidem ea Mundum concordia regi, eaque constantia gubernari, qua nec ma-jor aliqua esse possit, neque à nobis fingi, nemo certè, qui mundum ipsum vel levissimè perspexerit, ibit inficias. Res autem secus proculdubio contingeret, si non unus, sed plu-res essent Mundi Rectores. Etenim; „ quando unquam,
„ regni societas: aut cum fide cæpit, aut sine cruore de-
„ siit? Sic Thebanorum germanitas rupta; & permanens
„ rogîs diffidentibûs etiam in morte discordia: & Roma-
„ nos geminos unum non capit Regnum, quos unum u-
„ teri cepit hospitium. Pompejus & Cæsar affines fue-
„ runt, nec tamen necessitudinis fædus, in æmula pote-
„ state

(a) *In Octavio.*
(b) *Lib. II. Divin. Instit. cap. I.*

„ ſtate tenuerunt. Ne hoc tantùm de homine mireris, „ cùm in hoc omnis natura conſentiat. Rex unus eſt a- „ pibus, & Dux unus in gregibus, & in armentis rector „ unus. Multò magis Mundi unus eſt Rector, qui uni- „ verſa quæcunque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, „ virtute conſummat. (a)

Ipſe] ſuo regno ditioneque continet omnes,
Nec tenet imperium hoc ex immortalibus ullus. (b)

CONSECTARIA.

I.

UNitatem Dei inficiati ſunt primò Gentiles, qui pro ſuo genio, pravas præſertim paſſiones ſuas Divinitatis authoritate legitimare volentes, infinitos pene Deos in Mundum invexere; ut Heſiodus apud Euſebium (c) triginta Deorum millia eſſe in terra cenſuerit. Profectò ea fuit cuique libertas, ſibi Deum pro libidine fingendi; ut referente Cælio Rhodigino „ non provinciis modò ſed & ſu- „ us eſſet cuique civitati Deus. (d) Hoſtes quoque Divinæ unitatis fuere, Gnoſtici, Appellitæ, Marcionitæ Valentiniani, & Manichæi. Non enim unum, ſed plura, ùt Auctor eſt S. Auguſtinus (e) dicebant eſſe rerum principia, *bonum* ſcilicet unum, *malum* alterum, *viſibile* unum, alterum *inviſibile*. Quemadmodum enim, inquiebant poſtremi, ex bonis effectis colligitur ſummi Boni exiſtentia; ſic effecta mala, cujuſmodi ſunt in rebus naturalibus

(a) *S. Cyprianus in Libro de vanitate idolorum.*
(b) *Heſiodus ex Clemente Alexandr. Tomo III. Bibliot. PP.*
(c) *Lib. V. de Præp. Evang. cap.* 15.
(d) *Libr. XXII. Lect. Antiqu. cap.* 3.
(e) *Libro de Hæreſibus.*

ralibus venena, monstra, serpentes, feræ humani sanguinis avidæ, & similia. In moralibus quoque peccata, atque enormia facinora, in perniciem rei publicæ nata, existentiam summi Mali ostendunt.

Velim tamen considerent, in naturæ universitate, nihil mali absolutè reperiri. Serpentes, feræ, venena, & id genus similia, si aliis nocent, aliis prosunt & remedii locô deserviunt. Ita „ si panem qui quotidiana esca no„ stra est, accipiter sumat, extinguitur: & nos si hellebo„ rum, qua pecora pleraque vescuntur: cujus tamen her„ bæ adhibendæ quidam modus, etiam in medicamentum „ est. (a) Quod autem rerum conditarum pleræque hominibus noceant, in pænam peccati est: quæ quidem pæna, nonnihil etiam fructûs habet & utilitatis; inde enim justitia Dei declaratur, industria hominis excitatur, patientia exercetur, peccati gravitas ostenditur, & dolor ac pænitentia peccantis commovetur. In Moralibus verò quidquid boni est ac recti, à Deo originem ducit; quidquid verò mali, ab homine. Nec malum sive peccatum *formaliter*, ùt Scholæ loquuntur, sumptum, veram habet efficientem causam, sed solam deficientem, cùm sit mera rectitudinis absentia. Permittit autem Deus peccata, ut sinat hominem pro libertate sua operari, & sapientissimo voluntatis suæ consilio „ melius judicavit ex malis bene „ facere, quàm nulla mala esse permittere. (b)

II.

Porro licèt omnes Idololatræ *sint* polythei, *non omnes tamen* polythei *pro* Idololatris *habendi sunt. Polytheus* est, qui

(a) *August: contra Faustum Manichæ. Lib. XXI. cap.* 13.
(b) *Augustinus Cap. XXVII. Enchiridii.*

qui plura sibi fingit *entia*, ex æquo prima, increata, æterna omnia, ac penitus independentia. Est verò *Idololatra*, qui creatis rebus divinitatem tribuit, easque Numinum instar veneratur, atque adorat. Ceterum, idolum sive simulacrum, seu imaginem ad idololatriam nequaquam requiri. Coli creatura potest, immo & colebatur olim, tanquam Numen, etsi nulla imago, nullumque idolum tunc haberetur. Idolum, inquit Tertullianus, „retro non erat, priusquam monstri hujus artifices ebullissent. Sola templa & vanæ ædes erant; tamen idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere; (a) sique Plutarcho (b) danda est fides; CLXX. annis ab Urbe condita, nulla imago neque picta, neque ficta adorabatur Romæ, & tamen erant templa, in quibus idololatria, exercebatur. Quo autem tempore cæperit idololatria & quis fuerit primus, qui idola invenerit, atque coluerit, non planè certum est. Alii ipsam cum Torniello unà cum Mundo natam volunt; alii originem illius Cham uni ex liberis Nòé, cum Cælio Rhodigino tribuunt. Primus verò Idoli sive auctor, sive cultor videtur fuisse Belus, testimoniô Scripturæ *Sapientiæ* c. XIV. v. 15. Ceterum, ut ut de primo Idoli inventore res sit, videtur citra dubium, tanti criminis causam non solam fuisse humani generis perversitatem, morumque corruptionem, sed infirmitatem quoque & indigentiam. „ Utilitatum magnitudine, inquit Tullius, constituti sunt ij Dii, qui utilitates quasque gignebant. - - - - Suscepit vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiîs excellentes viros, in cælum fama ac voluntate tollerent: (c) ùtque habet Pli-

(a) *Lib. de Idol. cap.* 3. (c) *Lib. II. de Natura Deor. c.* 23. & 24.
(b) *In vita Numæ.*

„ bet Plinius, fragilis & laboriosa mortalitas in partes
„ ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus quis-
„ que coleret, quo maximè indigeret. (a)

III.

„ SEd iterum oritur maxima difficultas. (quam Lucas
„ Opalinius Marescallus Curiæ Regni Poloniæ, Librô
„ III. Officiorum Cap. 1. & jurè movet, & acutè, sapien-
„ terque resolvit) Nempe; quòd dum unus duntaxat
„ DEUS est, *si solus est, non est bonus*: seu potiùs non est
„ bonum. Boni namque maxima, intimaque proprietas
„ est, communicatio: solitudo autem communicationem
„ impedit: aut prorsus tollit. Ergo Ens summum, si so-
„ lum est, non est bonum. *At quomodo, cùm ab illo cuncta,*
„ *quæ bona sunt: non ipsum magìs tale?*

„ Quodsi dicas; *explevisse Naturam suam, cùm se im-*
„ *pertivit Creaturis: falsum est. Non potest enim finita, &*
„ *circumscripta communicatione bonum infinitum expleri.*

„ Deinde: *non est perfectè beatus DEUS, si solus est.*
„ *Aphilos* enim esset, & careret consortio, ac communi-
„ catione sibi adæquata: in qua suavitas, ac *fruitio beatæ*
„ *vitæ sita est: dum nempe bonum se alterum habet*, cum quo
„ ex æquo se commutat, fruiturque.

„ Tertiò: *si solus DEUS est; summè efficax* (ideoque
„ summè simplex) *non est.* Quod sic deduco. Quò ma-
„ gìs quidpiam simplex, magìs efficax est: ùt inter ele-
„ menta ignis. *Efficacitas* verò, in natura creata, maxi-
ma est in eo; ut id quod efficit, *sibi quàm maximè par, &*
simile efficiat: majus enim se efficere non potest: nam o-

F peratio

(a) *Lib. II. Hist: Nat. cap. 7.*

peratio non excedit essentiam. *Natura* autem *increata*, *ut sit summè simplex, & summè efficax; necesse est profectò, ut non modo simile producat; (par enim alioqui esset viribus creatis) sed prorsus alterum idem: tum enim demum efficacissimum simplex, cùm producit alterum: atque ita solum non est.*

„ Quartò: cùm *esse*; nihil sit aliud, quàm *unum esse*; „ (Etenim inquantùm quid unitatem assequitur; intantum est. Unde *simplicia* ideo magis sunt; quia *una sunt:* „ quæ autem *composita*; *concordiâ partium imitantur unitatem*; „ & intantùm sunt; inquantùm eam assequuntur: & nisi „ eam haberent, non essent:) consequitur, ut id quod „ est, unum sit. Atque ideo, propriè *unum est, quod est*: sed „ quia *verum etiam est*; *quod est*, Falsum enim non est: & „ denique *Bonum etiam est, quod est*: nam malum non est: „ ideo *Unum, Verum, Bonum est: quod est*. Cùm autem „ esse, sit unum esse: ideo tria hæc, habent unum esse: „ & quamvis distincta sunt, cöessentialia tamen sunt. Por„ro *Unum*; est Pater, idest, Principium, *Verum*; *est Filius:* „ imago Patris; eum *substantialiter* & vivè repræsentans. „ *Bonum* denique; *est Spiritus Sanctus*: nectens amore ac „ fruitione, commune ac consors trium esse.

„ Quintò: *Deum ab æternitate tota, nunquam sine actio„ne fuisse; nec torpidam similemque sopori vitam egisse*; ma„nifestum est: Summa enim æternaque mens, quæ sola „ per se vivit, vigetque, quomodo potuit esse, actionis „ aliquando expers? cùm ne nostra quidem, illa careat un„quam. *Actio vero ejus intima, propriaque, quia interna est*; *i„deo contemplatio est.* Quid autem contemplatur? *non ali„quid se ipso majus, perfectiusque*; *nihil enim ipso majus, aut* „ *perfectius est. Non etiam tantùm aliquid se inferius*; nam „ sola contemplatio ejusmodi, *non esset ipso digna*; *nec ejus*

„ *menti*

„ *menti par: nec sufficiens*, ut ei per omnem æternitatem
„ immoraretur: seque ea oblectaret. *Necesse ergo est, ut*
„ *sui ipsius contemplationem semper habuerit.* Hæc verò sui i-
„ psius contemplatio *perfecta consummataque ut sit; necesse*
„ *est, ut Deo repræsentet totam ejus substantiam. Quod autem*
„ *repræsentatur, cernitur, aspiciturque, id oppositum sit necesse*
„ *est. Et quod oppositum est, alterum est. Est ergo Deo sem-*
„ *per opposita, vivens, subsistensque sui ipsius Cognitio seu*
„ *Imago: atque adeo, Persona altera, coëterna, & consubstan-*
„ *tialis.* Ab utraque verò hac, manat, seu procedit &
„ *tertia: nempe Spiritus Sanctus: nam, ut sine contemplatione,*
„ *& cognitione sui, esse Deus non potest; ita hæc cognitio, amo-*
„ *rem sui & fruitionem producat; necesse est. Qui Amor con-*
„ *substantialis itidem, & æque æternus, & subsistens, atque ex-*
„ *tans semper: & omnino Persona est.*

„ Sed dum sic in natura Dei, solitudo vitatur, ca-
„ vendum maximè est: ne pluralitas, & ex illa diversitas,
„ accersatur. Hæc enim utraque & Unitatem tollit: &
„ disjungit: separatque: unde à perfectissima Natura Dei,
„ hoc incommodum oportet amoliri: & statuere; ut *DE-*
„ *US & unum sit, & non solus.* Itemque, ut, *dum est non solus*
„ *non sit diversus.* Quod aliter non potest consistere; quàm
„ dogmate Christiano: quo est Essentiâ unum idemque; &
„ Personis trinus: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus:*
„ *nam hi tres unum sunt.*

„ Est inquam *Trinus & Unum:* tum enim optimè sua
„ ipsi constat Natura. Nam Essentiâ, ejusque attributis, u-
„ num idemque est: (una nempe tribus & cöessentialis
„ *Potentia, Sapientia, Bonitas:* una eademque numerô,
„ compos unius Essentiæ Deitas: ideoque nulla prorsus,
„ in illis diversitas) *Solus autem non est, quia ipsummet Bo-*

 „ *num*

„ *num est: se infinitè sibi communicans: Perfectum quoque & ea-*
„ *tumque est, unitissimi consortii dulcedine:* qua gaudet DEUS,
„ verè & propriè alter, & alter ipse. *Summè simplex quia summè*
„ *efficax est, dum generat ac producit non modò sibi simile, sed*
„ *substantivè idem secum.* Nempe in mira emanatione illa,
„ Deitati interna, neque illius Unam Entitatem egressa,
„ *ab æterno Pater, visione sui, gignit Filium, & uterque ex sui*
„ *boni agnitione producit Amorem: idest unum eundemque enti-*
„ *tate secum: Spiritum.*

„ Quis autem comprehendat, aut efferat; quæ dul-
„ cedo sit istius fruitionis, qua una Divinitas in tota æ-
„ ternitate se novit, atque amat, & in pari & æquali com-
„ munione, se sibi indulget, se mutuò oblectat, bono
„ contenta suo, ideoque læta, gaudens, & beata semper.
„ *Esse itaque in Trinitate Personarum, unum naturâ, Deum* &
„ ratiocinatione jam dicta colligimus: & quod majus est,
„ remque continet, ac conficit, fide Catholica docemur. „

CONCLUSIO IV.

Mundus, quæque in eo sunt omnia, quantumvis minuta atque vilia, Divinæ providentiæ subjiciuntur.

PArtium mearum interesse existimo, ut declaratâ Unius Supremi Numinis existentiâ & Naturâ, pro ratione & ordine præsentis instituti, de Illius quoque summa, in administranda hac rerum creatarum Universitate Providentia, non nihil in medium adferam. *Providentia* verò, ùt eam egregiè definit Bèétius, *est ipsa illa divina ratio, in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit* (a) sive

(a) *Lib. IV. de Consol. Phil. Prosa 6.*

five ùt ait Nemefius, *eſt Dei voluntas, per quam omnia quæ fiunt, aptè gubernantur.* Quamobrem duo neceſſariò complectitur *Providentia*, rerum ſcilicet ordinem in divina mente, atque ipſius ordinis per certa media executionem.

Quam quidem æternam atque perpetuam de nobis cunctiſque rebus, Dei opitulationem, nemo non dicam imperitus, ſed perverſus etiam atque impius, modò internos animi ſui motus conſulat, etſi negare velit, non poteſt. Tam altè veritas hæc mentibus noſtris inſedit. Equidem; „ res ſingulas regi providentiâ, magno argumento eſt, „ quòd naturaliter ejus notitia hominibus ſit inſita. Nam „ neceſſitate aliqua compulſi, ſtatim ad Numen divinum, „ & preces confugimus, velut natura nos ſine doctrina „ ad Dei opem perducente. Non autem ſine doctore, nos „ natura ad id duceret, quod eadem natura non fert, ut fi„ at. Nam in repentinis perturbationibus, & timoribus, „ ſine electione, neque deliberatè, & tanquam aliquid „ conſideremus, Dei nomen invocamus. Quidquid au„ tem naturaliter quamque rem inſequitur, in eo tanta „ vis eſt ad demonſtrandum, ut contra dici nihil poſ„ ſit. „ (a)

Tanta naturæ luce perfuſi ſummi quique Philoſophi, Gentiles eſto, in Deum ſummè omnibus providentem communi ſuffragiô conſpiravere. „ Pythagoras Phi„ loſophus, quem quaſi Magiſtrum ſuum Philoſophia ipſa „ ſuſcepit, de natura ac beneficiis Dei differens, ſic locu„ tus eſt: *Animus per omnes partes Mundi commeans, atque „ diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur animalia, vitam capi„ unt.* Plato & omnes Platonicorum ſcholæ, *Moderato„ rem rerum omnium* confitentur *Deum*: Stoici eum *guber„ natoris*

(a) *Nemeſius Lib. de Natura hominis. cap.* 44.

„ *natoris vice, intra id quod regit, semper manere* testantur.
„ Tullius quoque, *nec verò DEUS ipse*, inquit, *qui in-
„ telligitur à nobis, alio modo intelligi potest, quàm mens so-
„ luta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mor-
„ tali, omnia sentiens & movens.* Alibi quoque: *nihil enim,
„ præstantius Deo. Ab eo igitur mundum regi necesse est. Nul-
„ li igitur Naturæ obediens, aut subjectus DEUS, omnem er-
„ go regit ipse naturam.* Cùm ergo omnes etiam religio-
„ nis expertes, veluti quadam necessitate compulsi, &
„ sentiri omnia à Deo, & moveri, & regi dixerint, quo-
„ modo nunc eum incuriosum, quidam (*Deistæ nempe,
„ qui iniquè asserunt humanas res nequaquam à Deo curari*) ac
„ negligentem putant, qui & sentiat omnia per subtilita-
„ tem, & moveat per fortitudinem, & regat per potestatem,
„ & custodiat per benignitatem? Dixi, quid de Majestate
„ ac moderamine summi Dei, Principes & Philosophiæ &
„ Eloquentiæ simul judicarint. Ideo autem nobilissimos
„ utriusque excellentissimæ artis Magistros protuli, quò
„ faciliùs vel omnes alios idem sensisse, vel certè sine au-
„ thoritate aliqua dissensisse monstrarem. „ (a)

Quid, si sublata Dei providentiâ; religionem, o-
mnem, justitiam omnem, ipsam denique hominum socie-
tatem tolli oporteat? Et quidem religio atque pietas qua
ratione stare poterunt? Cùm „ hæc omnia, ùt præclarè
„ advertit Tulliùs, purè ac castè tribuenda Deorum Nu-
„ mini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid
„ à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin
„ autem Dii, neque possunt nos juvare, neque volunt,
„ neque omnino curant, nec quid agamus animadver-
„ tunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam perma-
„ nare

(a) *Salvianus Lib. I. de Gubern. Mundi Tom. VIII. Biblioth. Patrum.*

„ nare poſſit, quid eſt, quod ullos diis immortalibus cul-
„ tus, honores, prece s adhibeamus? (a) Et ſane, „ quis
„ honos deberi poteſt nihil curanti & ingrato? An aliqua
„ ratione eſſe obſtricti poſſumus ei, qui nihil habeat
„ commune nobiſcum? (b) Itaque „ ſi Dei providen-
„ tia non præſidet rebus humanis, nihil eſt de religione
ſatagendum. (c) Quod ſi verò id placeat, utì quidem
non nullis malignæ mentis hominibus placet; jam de ho-
minum ſocietate actum eſt. „ Haud enim ſcio, inquit
„ Tulliùs, an pietate adverſùs Deos ſublata, fides etiam
„ & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima vir-
„ tus juſtitia, tollatur. (d) Enimvero; multum refræ-
„ nat homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu
„ Dei vivere, ſi non tantùm quæ gerimus, videri deſuper,
„ ſed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri à Deo
„ putemus. (e)

Deinde ex ipſa Dei natura, validum & invictum ar-
gumentum ad Dei Providentiam aſſeverandam ducitur.
„ Naturâ bonus eſt & ſapiens, (inquit S. Joannes Dama-
„ ſcenus) Igitur quatenus bonus eſt, providet. Qui
„ enim non providet, non eſt bonus. Nam & homines
„ & beſtiæ propriorum fætuum providentiam habent, na-
„ turali quodam inſtinctu; & qui non providet, vitupe-
„ rari ſolet. Quatenus autem ſapiens eſt, optimè rebus
„ proſpicit. (f) Productio etiam Mundi, trahit poſt
„ ſe Dei curam, & adminiſtrationem. Nam „ quis ope-
„ rator negligat operis ſui curam? Quis deſerat & deſtitu-

„ at,

(a) *Libro I. de Natura Deorum Cap. 5.*
(b) *Lactantius Libro de ira Dei Cap. 8.*
(c) *S. Auguſtinus de utilitate credendi Num:* 34.
(d) *Libr. I. de natura Dorum Cap. 12.*
(e) *Lactantius Lib. de ira Dei Cap. 8.*
(f) *Libro II. de Fide cap. 29.*

„ at, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt rege„ re, nonne eſt major injuria feciſſe? cùm aliquod non fe„ ciſſe, nulla injuria ſit; non curare, quod feceris, ſum„ ma inclementia. (a)

Denique „ omnium permanentia, & maximè eorum, „ quæ oriuntur, & occidunt, ſitus item, & ordo rerum, „ qui ſemper idem conſervatur, & aſtrorum curſus, qui „ nihil unquam variatur, & annui circuitus, & anni tem„ porum reſtitutio, noctium, & dierum ſemel in Anno „ æqualitas, utrîſque viciſſim, neque majore neque mi„ nore parte augeſcentibûs, & decreſcentibûs, quomo„ do, ſi nemo provideat, ſimiliter adminiſtrari & perma„ nere poteſt? (b)

Neque verò D E U S, ijs duntaxat, quæ ſublimioris ſunt ordinis, præſtantiorisque naturæ proſpicit; ſed etiam univerſa ejus Providentia ad infima quæque & viliſſima curanda pertingit. Quin ut Divina Majeſtas aut in re-rum abjectiſſimarum adminiſtratione vileſcat; aut ſordidarum rerum tractatione contaminetur. Solis pene more: cujus radii nulla cloacarum, ac cænoſarum voraginum quas colluſtrant, contagione fædantur. Declarat optimè rem totam Auguſtinus ex ipſa miranda ſtructura, cujuſque quantumvis minutiſſimæ rei „ Quis diſpoſuit, „ inquit, membra pulicis, & culicis, ut habeant ordinem „ ſuum, habeant vitam ſuam, habeant motum ſuum? „ Unam beſtiolam brevem minutiſſimam conſidera, quam „ volueris; ſi conſideres ordinem membrorum ipſius, & „ animationem vitæ, qua movetur, ùt pro ſe fugit mor„ tem, amat vitam, appetit voluptates, devitat moleſtias, „ exerit

(a) *Ambroſius Lib. I. de Officiis cap. 13.*
(b) *Nemeſius Lib. de Natura hominis cap. 42.*

„ exerit ſenſus diverſos, viget in motu congruo ſibi. Quis
„ dedit aculeum culici, quo ſanguinem ſugat? Quàm
„ tenuis fiſtula eſt, qua ſorbet. Quis diſpoſuit iſta? Ex-
„ paveſcis in minimis, lauda Magnum. Qui fecit in Cæ-
„ lo Angelum, ipſe fecit in terra vermiculum. (a)

CONSECTARIA.

I.

NUllum igitur eſt fatum à Divina Providentia diverſum. Si autem „ fato quiſquam tribuit, quia ipſam Dei „ voluntatem, vel poteſtatem, fati nomine appellat, ſen- „ tentiam teneat, & linguam corrigat. (b) Proinde manifeſtè liquet, quàm graviter erravere omnes illi, quo- „ rum „ alii, caſum, atque fortunam, fortuitò ſane te- „ merèque confictam induxerunt: alii ſiderum principa- „ tum quemdam rationis expertem atque indiſſolubilem, „ res humanas arbitratu ſuo, immo etiam neceſſa- „ riò, contexentium, & errantium quarundam, atque „ fixarum ſtellarum congreſſus, & receſſiones, ac motio- „ nem, quæ mundo dominantur: alii . . . providenti- „ am ad nos uſque demittere gravati ſunt; perinde ac „ vererentur, ne benefactorem eò meliorem eſſe pronun- „ ciarent, quòd plures beneficiis afficeret; aut ne DEUS „ bene de pluribus merendo defatigaretur. (c)

G II.

(a) *In Pſalmum CXLVIII.*
(b) *Auguſtinus Lib. V. de Civit: Dei cap.* 10.
(c) *Gregorius Nazianzenus Orat.* 27. *de pauperum amore.*

II.

QUemadmodum indubium eſt, nihil prorſus in Mundo contingere, quod Divinæ Providentiæ nequeat acceptum referri; *ita Deum concurrere immediaté, immediatione virtutis, ad omnes effectus, qui à cauſis producuntur*, quatenus nempe eam vim illis contulit, qua operantur, virtutemque inditam in producendis effectis exerunt, hactenus ſanus nemo inficiatus eſt. Et meritò: à Deo enim habet creata cauſa facultatem, qua operetur, quemadmodum, ab eo habet ut exiſtat. Quare auctor carminis de Providentia inter opera S. Proſperi meritò dicebat:

Omnem autem hanc molem mundi, qui condidit, ipſe
Et regit: utque nihil non ortum ſumpſit ab illo,
Sic nihil eſt, quod ſtare queat factore remoto.

III.

AT verò ſunt non nulli, inter quos & Durandus, „ „ qui arbitrantur tantummodo Mundum ipſum factum „ à Deo: cetera jam fieri ab ipſo Mundo, ſicut ille or„ dinavit & juſſit; Deum autem ipſum nihil operari. „ Contra quos profertur illa ſententia Domini: Pater me„ us uſque modò operatur. (a) Contra quos, inquam, communi ſuffragiô ſubſcribunt omnes quà Philoſophi, quà Theologi, *Deum ad omnes creaturarum effectus concurrere etiam immediatè, immediatione ſuppoſiti*, aſſeverantes. Nec abſque ratione; Si enim DEUS non concurreret ad actiones creaturarum immediatè, *immediatione ſuppoſiti*; jam earum effectus non dependerent à Deo *immediatè & per ſe*, ſed *mediatè* duntaxat, & *per accidens*. Effectus enim non

depen-

(a) *S. Auguſtinus Libro V. de Geneſi cap. 20.*

dependet *immediatè* & *per se* nisi ab eo, per cujus actionem existit. Absurdum autem videtur, ut effectus causæ creatæ dependeat *immediatè* & *per se* à creatura; à Deo autem tantùm *mediatè* & *per accidens*, sive ut magis à creatura, quàm à Deo dependeat.

Deinde; nulla creatura sibi sufficit, ut existat. Nulla adeo quoque sibi satis est, ut operetur. Operari enim sequitur esse, modus que operandi modo essendi, quemadmodum ajunt Philosophi planè respondet. Ut autem creatura existat, immediato Dei concursu opus illi est. Eodem est illi opus adeo, ut operetur.

CONCLUSIO V.

Nemo mortalium usu rationis pollens, laborat ignorantia insuperabili existentiæ Supremi Numinis.

UT hanc veritatem percipiat homo, opus non est, nisi ut oculos aperiat, mentem que habeat liberam, protinus enim absque longa argumentationum serie, agnoscet potentiam & sapientiam Creatoris in opere suo relucentem. „ Hæc enim est scientia naturalis, sine qua nemo nascitur; „ adeo ut cuilibet ingenitum sit & affixum, ac in utero „ matris impressum ac insitum, esse Regem ac Dominum, „ cunctorum, quæcunque sunt, moderantem (a) Hoc „ idem agnovit Epicurus ipse, quametsi aliunde juratus „ Divinæ existentiæ hostis, qui ùt Cicero refert, „ vidit „ quòd in omnium animis, Deorum notionem impressis- „ set natura. (b) Quod si aliquis, qui plus vult sape-

(a) *S. Ambrosius. Lib. I. contra gentes* (b) *Lib. I. de natura Dorum.*

re, quàm ſapere oporteat, hanc veritatem impugnet, cum illo neutiquam diſputabo, id unum rogabo, ut ſupponam illum naufragiô factô, in deſertam Inſulam ejectum: ſubintrat ille ædem ad omnes Architectonicæ regulas conſtructam, omni ſupellectilis genere magnificè ornatam; in interiore triclinio videt ille codices optimos omnis generis, pulcherrimo ordine diſpoſitos, nemo tamen mortalium in tota inſula ſe ſuo aſpectui offert. Jam quæro ex illo, erit ne adeo iners atque plumbeus, quò ſibi perſuadere poſſit, totum hoc opus eſſe fortuitum ſine induſtria dirigente? Contendo potiùs ego, illum non poſſe, quantumvis ſibi vim inferat, in eam ſententiam concedere, ut hæc lapidum congeries, tali ordine ac proportione diſpoſita, hæc omnis generis ſupellex, tanta arte ac venuſtate elaborata, & tam bellè collocata, combinatio ſit merè fortuita, temerè & abſque mente conflata. Poterit equidem ſubtile quoddam ingenium forſan aliquid afferre, quò paradoxum adeò abſurdum, quocunque demum modo *ſpeculativè* propugnet; at ſi ad internos animi motûs attendere velit, non poterit unquam ſeriò dubitare de intelligentis induſtria, in tali ædificio reſplendente. Hæc impotentia dubitandi in homine, oſtendit illum planè convictum eſſe; hic, ut ita dicam, ultimus humanæ rationis terminus eſt; quem ſupergredi non poteſt.

Si jam tale ædificium nobis ſtatim ingerat cognitionem induſtrii artificis; quantò magìs hæc rerum univerſitas, immenſum hoc opus, tanta varietate diſtinctum, tanto ornatu variegatum, tam excellenti partium ordine diſpoſitum, tam admirandis motibûs conſpicuum, illico, nobis manifeſtabit Opificem Sapientiſſimum? Hæc com-

paratio

paratio obvia est, & nemo est; quem illa non convincat de existentia Divinitatis; & forte faciliùs hominem rudem & aggrestem, quàm Philosophum vanum; hæc enim distantia est inter plebejum hominem, & talem sciolum, quòd ille in simplicitate sua, protinus sequatur ea, quæ primo aspectu ei inclarescunt; ille verò suis præjudiciis omnia deferens, variis & ineptis subtilitatibus ipsam suam rationem obnubilet. Quid, si ,, nec ipsi sacrilegi & detestandi quidam Philosophi, qui perversa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere: non est DEUS? (a)

En igitur Divinitatem ita omnium oculis expositam, ut nullus homo mentis compos, qui attentus sit sine vanitate, & animi passione illam non videat. Tantum abest, ut habeat opus multo ratiocinio, ut potius nihil ipsi magìs timendum sit, quàm ne fallaci ratiocinio implicetur: non magìs opus habet meditatione, ut Deum suum ex aspectu Mundi visibilis agnoscat, quàm ut supponat horologopæum, dum videt horologium, aut Architectum, dum considerat ædificium.

CONSECTARIUM.

STatim autem ac homo cognoscit suum Creatorem ac Patrem optimum, à quo habet esse, vitam, & omnia vitæ subsidia, à cujus nutu dependent omnia, quique suprema potestate illa gubernat, à quo solo, utì sunt omnia, ita etiam ille suam felicitatem præstolari debet: homo, inquam, qui hoc cognoscit, naturali rationis dictamine agnoscit etiam, & judicat supremum hunc Creatorem ac Patrem

(a) *Augustinus in Psalmum XIII.*

Patrem optimum colendum esse, & quidem modo, quo potest meliore, & quantum in ejus viribus est, condigno TANTA MAJESTATE ET BONITATE.

Hactenus, quantum Philosopho licuit, de DEO disseruimus, multa alia quæ Theologi ex lumine Fidei demonstrant, alto silentio veneramur, nec in ea introspicere audemus. Bene conscii, quanta sit rerum Divinarum altitudo, & quàm angustis limitibûs mens nostra, propriis relicta viribus, teneatur; profunda Dei admirari potiùs lubet quàm scrutari;

Nam cùm Divinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quique Chao anterior fuerit, mundumque crearit,
Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori.
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei secreta Supremi;
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis? (a)

(a) *Prudentius Libro II. contra Symmachum.*

PERMISSU
MAGNIFICI & AMPLISSIMI RECTORIS.